EPISTOLA AD ORNATISSIMUM VIRUM D. JOHANNEM HOUSONUM SACRÆ Theologiæ Doctorem, Academiæ Oxonienſis *Procancellarium:*

QUA DOGMA EJUS *novum & admirabile de Judæorum* Divortijs refutatur, & ſuus Sacro-*ſanctæ Scripturæ nativus ſenſus* ab ejus gloſſematis vin-*dicatur.*

Autore TH. PIO. S.T.D.

Clem. Alex.
Ανίκητον ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται.

SENECA.
Tenue enim mendacium eſt: perlucet ſi diligenter inſpexeris.

LONDINI,
Excudebat *Arn. Hatfieldus.*
M. D.C. III.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

1942.01

ORNATISSIMO

viro, fratriq; in Christo charissimo D. J. HOUSONO, sacræ Theologiæ *Doctori, & Academiæ Oxoniensis* Procancellario, *Th. Pius S. P. D.*

CUm multa in te amanda esse, & laudanda semper existimaui, Procancellarie ornatissime; tum ingenuitas illa, quam in libro de Divortiis præ te fers, vel inprimis amplectenda videtur; qua apertè profiteris vltróque offers, *te, si extiterit aliquis, qui vel privatim, vel publicè detexerit, & deterserit errorem tuum, cum quasi lumen prætulerit menti tuæ, alacriter quidem, & expeditè errori tuo valedicturum.* D. Houf. p. 61. Quamobrem post Comitia Oxonienſia superioris ætatis, in quibus libellum illum novum novo de Divortiis dogmate nobis procudisti; volui fundamentum quæstionis tuæ non publicè quidem, ne Ecclesiæ pax nimiùm intestinis atq; intempestivis hoc nostro sæculo vexata contentionibus, per me vel tantillùm violetur: sed privatim tantummodò epistola vulgari sermone ad te data labefactare; ut cùm vanam te falsámq; opinionem

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

mente tua comprehendiſſe intelligeres, non ſolùm eam animo lubenter remitteres, ſed libros etiam tuos, quibus ea in vulgus eſt edita, retractare atq; retexere non gravareris. Quo facto mihi videbare, contrà quàm tu augurio vano putâras, *Eccleſiam difficillima quæſtione, remp. autem maximis malis liberaturus*: addo & academiam noſtram non mediocri dedecore; cui verebar, ne apud exteros homines fraudi foret, ex ea tam inſolens dogma tam exulcerato tempore prodiiſſe.

Houſ. p. 60.

Quia verò ſuperioribus diebus, vt mea in ſermonem Latinum, quo tua ſcripta ſunt, transferrem, per literas obnixè rogaueris; quò qui horum eſſent participes, illorum judices conſtituerentur: age, voluntati tuæ, etſi invitiùs quidem, quia hæc in publico proponere nunquam in animo habuerim, geram tamen morem, tibíq; de te obſequar.

Lit. datas Decem. 10. 1602.

THeſis tua (vtì eam reperio libelli tui pagina nona) hæc eſt: *Diſpenſatio illa cenceſſa Judæis propter cordium duritiam, quâ liceret uxores dimittere, & alias ducere, in cauſa adulterii tantum fuit, quæ etiam diſpenſatio per adventum Chriſti ſublata eſt, & antiquata.* Atq; hac theſi tua fundamenta firmiſſima illius dogmatis à te jacta putas; quod perſonæ innocenti, cujus conjux ob adulterium manifeſtum repudiatur, novi conjugii poteſtatem omnino tollit. Argumentum autem quo nititur hoc dogma, apud te tale eſt: *Divortium quod concedebatur Judæis propter duritiam cordium (ut videlicet uxores dimitterent, & alias ducerent) ſublatum eſt per adventum Chriſti; Sed illud divortium fuit ſolùm propter adulterium: ergo, Divortium propter*

Idem docuit J. D. in concione paulina. p. 14. According to Moſes permiſſion, which was a man, and did like a man, diuorcement was permitted only in caſe of adulterie. Pag. 9.

propter adulterium ſublatum eſt per adventum Chriſti: Et proinde jam non licet ne propter adulterium quidem uxores dimittere, & alias ducere.

Syllogiſmum hunc veluti ſolum quoddam, & fundamentum poſuiſti totius diſputationis tuæ. in quo mirum illud videtur, quòd cùm omnibus ejus membris probandis advigilare attentè debueras, quò extra controverſiam ponerentur omnia; tamen in propoſitione confirmanda arctè & grauiter dormitâris, eámque prorſus derelictui habueris; ſatis dixiſſe ratus: *Major noſtra propoſitio vel luce meridiana clarior* Pag. 9. *exiſtit, nempe diſpenſationem hanc Judæis ſolùm fuiſſe propriam, & germanam, & eam porro unà cum reliquis Moſaicis diſpenſationibus adventu Chriſti labefactatam, & fractam funditus concidiſſe.* Atquî noſtri oculi hanc lucem tuam meridianam minimè capiunt. Etenim quàm multa in hac propoſitione tua & nobis dubitanda, & tibi probanda occurrant, paucis intelligito. Primò, diſpenſatio illa, quam aduentu Chriſti funditus concidiſſe dicis, num tibi Ceremonialis videtur? Certè vel ceremoniam fuiſſe tibi erat probandum, vel alijs rebus præter ceremonias adventum Chriſti finem feciſſe: & tum diſpenſationem hanc, de qua agitur, ſub earum rerum genere fuiſſe comprehenſam, firmandum tibi reſtabat. Chriſtumnè tu putas in hunc finem veniſſe in mundum, ut polygamijs & repudiationibus iniuſtis finem imponeret, quæ omnia ipſa dei lege ſanctionéq; planè prohibita nôrunt omnes, qui ad mentem legis animum paulò attentiùs advertunt; etſi contra legem admiſſa, temporum iniquitate, & hominum in moribus inveteratis obſtinatione tolerarentur? Viden-

dum igitur utrum adventu Christi, an potius recta Christi interpretatione legis diuinæ, veráque ejus & genuina explicatione illa divortia Mosaica sublata dicantur. Quòd si ita se res habeat, in majori tua propositione maxima deprehendetur fallacia, τὸ μὴ ἀιτὸν ὡς ἀιτὸν ponentis. Nam adventus Christi ἀναιτὸν erat sublatæ repudiationis: quemadmodum non Christi absentia, sed Iudæorum σκληροκαρδία, libidinésque indomitæ & effrenatæ causa erant ejus permittendæ. Deinde vide, ne in hac clarissima meridiana luce, quam fingis, ipse caligaueris; cùm postea scri-

Pag. 39. bis: *Servator noster dum inter vivos ageret, veterem legem Mosis nec plenè, nec partim sustulit.* Nonnè hinc lectori tuo facile fásque erit concludere, Ergo divortium Mosaicum non fuisse sublatum per adventum Christi, cùm tu ne per mortem Christi sublatum id esse, toties nobis inculcas? Etenim pagina

Pag. 40. proxima scribis: *Legem ipsam Mosaicam à Christo dum humanam carnem circumgestaret non deleri, nec antiquari, multis, ijsque firmissimis rationibus poterit evinci:* Atque inter omnes illas rationes prima & præcipua est, quòd servator testetur Mathæi quinto: *Non veni solvere legem.* Quare, cùm tu dispensationem illam, legis nomine, quam Christus non venit solutum, signatam & comprehensam velis: non vigilatè satis tibiuè constanter, sed planè δουκάτως dictum est, *Dispensationem illam per adventum Christi sublatam fuisse.* Videris certè mihi tota in oratione tecum pugnare, & non modò non cohærentia inter se dicere, sed maximè disjuncta, atque contraria, vt non tanta mecum, quanta tecum tibi sit contentio. In propositione affirmas, *Dispensationem illam Mosaicam Christum ad-*

ventu

ventu suo funditus sustuliſſe : in confirmatione, *Chriſtum diſpenſationis illius inſtauratorem fuiſſe* clamitas. Pag.17.l.4. Addis prætereà pag 44. *Huius ſententiæ in gratiam non memini me vnquam in ſcripturis vel Syllabam inveniſſe, videlicet Chriſtum Iudæis inſinuaſſe ſe velle robur, & virtutem Moſaicæ legis aliquantulùm infringere.* Si quid ego video, hæc omnia Majorem propoſitionem tuam, quam meridiana luce clariorem exiſtimas, ſi non extinguunt penitus, ſaltem tenebras ei offundunt, obſcurántque plurimùm. Quamobrem Majori propoſitione tua, dum tu lucem clariorem accenderis, in tenebris cæciſque nubibus relicta, Minorem videamus; in qua totus deſudas elaboráſq;, & omnes tuos nervos in eo contendis, vt divortium illud Iudaicum fuiſſe ſolùm ob adulterium appareat. Hoc enim caput eſt theſeos tuæ.

Antitheſis doctiſſimorum Theologorum tam veterum quàm recentium hæc eſt: Divortia de quibus agitur Deut.24. Mat.5. & 19. adverſata quidem eſſe legi divinæ, juríque matrimonij repugnaſſe, itáque à Chriſto παρανομίας damnata funditus tolli: ſed ea in priuatis offenſionibus locum habuiſſe, ubi maritus uxorem inviſam haberet ob vitium aliquod vel in corpore, vel in moribus, ut [a] Liræ verbis utar: vel ob ſterilitatem, ut [b] Auguſtini.

[a] *Lir. in Deut.* 24.

[b] *Aug. de nupt. et con. l.1.c.10.*

Hic igitur eſt controverſiæ hujus ſtatus: Judæorum divortia apud Moſem fuerintne ſolùm in cauſa adulterii: quod tu ais, & quò tota hæc diſputatio tua ſpectat, tótque excogitata argumenta. quod niſi probè rationibus firmaveris, præclarũ hoc παραδοξὸν tuum mole ruet ſua. Colligamus igitur argumenta tua, & cujus ſint ponderis & momenti paucis expendamus.

Primùm

Primùm omnium τὸ ῥητὸν tam in Hebræo contextu, quàm in præcipuis interpretibus naviter & ſtrenuè inculcas. *Vis & veritas hujus doctrinæ* (inquis) *nec ex authoritate humana exprimitur, nec è patribus Eccleſiæ primitivæ, nec ex aliquo ſubnovitio ſcriptore ducitur: ſed ex ipſiſſima litera legis Deuteronomii viceſimo quarto decerpitur, ubi diſpenſatio illa Judæis indulta eſt; illic enim ſic ſcriptum reperiemus. Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inveniet gratiã ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum divortij, &c. ubi ex litera legis neceſſe eſt ut intelligatur vel adulteriũ vel immunditia aliqua carnalis eſſe cauſa divortii: dubitari enim non poteſt quin Deus evidentem aliquã cauſam iſtius diſſenſationis proponeret, & illud nec ut individuum vagum, vel aliquid indeterminatum relinqueret, ne populus ex imperfectione legis in aliquos errores incideret, &c.* Atque hoc modo tu hinc concludis, debere divortii hujuſcemodi unam eſſe certam & definitam cauſam: cùm ipſa legis verba tibi prorſus contrarium ſonent; quæ propter ALIQVAM fœditatem id fieri poſſe adfirmant. Numquid incertius, magiſque in dubio relinqui poteſt, quàm cùm ALIQVID dicitur? Qui Latinas literas vel à limine ſalutavit, cùm incertum è multis ſignificare vult, quem percuſſorem eſſe ſuum non deprehendit, aliquis me percuſſit, clamitabit. Vide exempla apud vulgatum interpretem: [a] *Et omnis populus qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis.* Num tu in vna certa cauſa Dominum à populo conſultum arbitrare? [b] *Anima, quæ tetigerit aliquod immundum, ſive quod occiſum eſt à beſtia; ſive per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile.* Anné unum hîc ſolùm immunditiæ

Pag. 10.

[a] Exod. 33. 7.

[b] Leuit. 5. 2.

munditiæ genus vetitum ſomniabis? [c] *Et invenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea.* [d] *Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi.* [e] *Si venerit aliquis interrogans te, numquid hic eſt aliquis? reſpondebis nullus.* Nonne vides his omnibus locutionibus indefinitum quid, incertum, & indeterminatum notari? & qua obſecro loquendi formula tuum individuũ vagum aptiùs explicabis quàm hac? Certè qui linguam Hæbręam vel primoribus labris attigerunt, probè norunt, Hæbræos, cùm de univerſis loquuntur & generatim, uti vocabulo דבר *dauar*; quod Moſes hîc poſuit, quódque vulgatus interpres aptiſſimè tranſtulit, *aliquam*. Exemplа apud Moſem vel tyronibus in lingua Hebræa notiſſima ſunt. [f] *Num Deo eſt impoſsibile* דבר *quicquam, ſiveres ulla.* [g] *Quia non poſſum facere* דבר *quicquam, vel rem ullam.* Atque eodem modo hîc loquitur Moſes, *Quia invénit in ea fœditatem rei ullius.* Sed quid obſecro eſt illud certum, comprehenſum, ratum, firmum, fixum quod hac lege propoſitum putas? *Adulterium* (inquis) *eſſe manifeſtam illam, & unicam cauſam expreſſam in verbo legis ex legis litera luculenter conſtat.* Atquî paulò ante per disjunctionem aſſerebas, ex litera legis intelligi vel adulterium, vel immunditiam aliquam carnalem eſſe cauſam hujus divortii. Multa autem ſunt immunditiæ carnalis genera, quæ ad adulterium non accedunt. Igitur te confitente falſum eſt, quod hîc ais; *conſtare nimirum ex legis litera, adulterium eſſe unicam cauſam:* conſtat enim ex litera legis, potuiſſe eſſe aliquod aliud immunditiæ carnalis genus, præter adulterium; & argumenta tua

[c] Deut.22.23.
[d] Deut.24.10.
[e] Jud.4.20.
[f] Gen.18.14.
[g] 19.22.
Pag.11.l.12.
* Pag.12.l.8. & 15.
Pag.13.l.7. & 23.

* Paginis proximis non tam pro adulterio, quàm pro

immunditia, & impuritate carnali faciunt. Vides ergo ut in primo aditu veſtibulóque orationis univerſum paradoxum tuum uno verbulo everteris. Sed his omiſſis audiamus argumenta, quibus probas, *Adulterium eſſe unicam cauſam divortij. Neque verò expectandum eſt* (inquis) *ut ipſum verbum fornicationis, quo utitur Servator noſter in Evangelio reperiatur in litera legis Moſaicæ, cùm in Moſe vix, aut ne vix quidem uſurpetur ad corporalem aliquam labem, & immunditiam demonſtrandam. &c.* Quid audio? adulterium tu corporalem tantùm labem, & immunditiam, & non etiam ſpiritualem cenſes? An animam ipſam hominis labe illa infici, macula affici, polluíque negabis? Adulterium eſſe aliquod non corporale, ſed ſpirituale tantùm, benè novi; Sed aliud corporale illud, corporalem eſſe labem, & immunditiam tantùm, non autem ſpiritualem etiam, audivi nunquam. Sed ut hoc mittam, miror te non animadvertiſſe quàm leve hoc & infirmum ſit, quòd Moſem de ambiguitate & obſcuritate in cauſa divortii ponenda excuſatum putas, quia ſcilicet verbo fornicationis pro ſcortatione corporali non utatur: quaſi verò non ſint verba alia magis propria, multóque aptiora, quibus flagitium hoc exprimi ab eo poteſt, & ſolet: utpote, adulterandi, mœchandi, ſcortandi, quàm illud fornicationis eſt, quo vetus Interpres πορνείαν apud Mathæum parùm aptè interpretatus eſt: quoniam πορνεία de uxore conjugii fidem violante uſurpatur apud Græcos; de qua Latinum fornicatio non itidem enunciari ſolet, ſed de ea quæ extra matrimonium ſcortatur: atque ita vetus interpres uſurpat ad exprimendam perſonæ ſolutæ corruptelam,

ruptelam, quam Moſes verbo זנה *zanah*, denotare ſolet: ut [a] *Thamar nurus tua* זנתה *zanethah, fornicata eſt.* לזנרת [b] *liznoth, ut fornicaretur in domo patris ſui.* Vides ergò quàm à vero alienum ſit quod tu adfirmaſti, *fornicationem in Moſe ne vix quidem vſurpari ad corporalem aliquam immunditiam denotandam.* Quod verò ad hoc peccatum in conjugatis attinet, tam familiare eſt Moſi illud per verbum נאף *naaph*, quod vulgatus in nomine adulterium, in verbo mœchari vertit communiùs, exprimere, ut vix apud Moſem aliud verbum pro illo flagitio poſitum reperias: ut [c] לא תנאף *non mœchaberis.* [d] *Si quis mœchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum uxore proximi ſui, morte moriatur & mœchus, & adultera.* [e] *& adulter, & adultera. ſed latet adulterium: oblatio inveſtigans adulterium: adulterij rea.* [f] Sic Vetus interpres.

[a] Gen. 38. 2.
[b] Deut. 22. 21.
[c] Exod. 20. 14. deut. 5. 18.
[d] Lev. 20. 10.
[e] Deut. 22. 22.
[f] Num. 5. 13. 15. 20.

Propero ad id, in quo cardo rei vertitur: An vocabulum, quo Moſes cauſam divortij cõprehendit, adulterium in hac lege ſignificet. Primùm legiſlatorẽ ipſum audiamus: *Cum acceperit quis uxorem, & maritaverit eam, erit ſi non invenerit gratiam in oculis ejus, quia invenit in ea* ערות דבר [a] *nervath davar, fœditatem rei, & ſcripſerit ei libellum repudij, & dederit in manum ejus & demiſerit eam è domo ſua. &c.* hæc legiſlator. Audiamus commentarium tuum. *Vtitur* (inquis) *in hac lege Moſes verbo, Hervat, quod nuditatem Hæbræi vocant, ab harah, quod ſignificat nudare, & diſcooperire: Quæ Hæbraica locutio aut adulterium, aut carnalem impuritatem denotat, vt videre licet paſſim in ſcripturis, & in obſervationibus omnium interpretum.* Iſta tua non tam confutatione egent quam meliori inſtitutione, quòd

Deut. 24. 1.

[a] Hebræum ע more meo per ñ Hiſpanicũ tranſcribo: ad cujus ſonum proximè accedit. P. 12. l. 4.

meram linguæ sanctæ & sermonis Hæbraici inscientiam prodere videantur. mallem enim id suspicari, quàm malitiæ te atque improbitatis insimulari, qui veritatem intuitus, eam non tueri, sed dedita opera obscurare atque opprimere velis. Namque vel unum mihi locum ostendito, si potes, in scripturis omnibus, vel in obseruationibus omnium interpretum, in quo *nervah* (siue *hervat* vt tu transcribis) adulterium denotat. Collega quondam tuus in æde Christi & jam ὁμοδοξὸς J. D. in concione quam habuit mense Maio, 1601, è rostris Paulinis, ad solennem illum & frequentem Londinensium cœtum, ad hanc rem probandam quartum versum Deuteronomij vicesimi quarti nobis allegauit; sed quàm ineptè, mox patebit. Quod ad dictionem hanc hæbraicam attinet, verbum ערה *narah* propriè contrarium notat ei quod latini tegere dicunt, id est, retegere, seu nudare: hinc inclinatum *nervah* nuditas est. Et quia post lapsum προτοπλαστῶν nuditas turpis est, ejúsq; proinde nos pudeat (cujus in primis illis parentibus, primóq; peccantibus experimentum apud Mosem cernere licet) ad ea omnia quæ fœda & turpia sunt, quæq; contecta cupimus, & ab oculis removemus, quòd eorum detectio, atque aspectus nobis pudorem afferant, transfertur. *Ad videndũ nuditatem terræ venistis.* Gen. 42.12. Deinde quia ex omnibus corporis partibus membri genitalis maximè nos pudeat, quod ut natura ipsa contexit atque abdidit, ita eam imitata hominum verecundia, & publica honestas contegendum docet: ideò Hębræis κατ' εὐφημισμὸν huic corporis parti hoc nomen ponitur; sicut Latinis eandẽ ob causam appellatur *pudendum*, & Græcis αἰδὼς pudor & ἀδοῖον.

Cic. off. l. 1.

Porrò

Porrò גלוה ערוה *retegere, seu revelare nuditatem alicujus*, & interdum ראוה *conspicari nuditatem alicujus*, nonnunquam per hypallagen antecedentis pro consequente, conjunctionem viri & mulieris, commixtionémq; corporum (quæ copula carnalis vulgò nominatur) declarat, sive legitimo coitu id fiat in justo matrimonio; sive extra matrimonium illegitimò, utpote in adulterio, incestu, fornicatione, vel scortatione quacunq;. Ex his jam extruatur argumentum tuum: *Nervah* interdum apud Mosem pudenda significat, aut cum aliis vocabulis adjunctis copulam carnalem notat: Ergo in hac lege adulterium significat. O miserabilem differendi rationem! liceat enim in argumento haud absimili cum Cicerone exclamare. Tale est & sodalis tui J. D. argumentum, in re eadem, cujus ante memini: Hujus „ J.D. *com. Paul.* capitis versu quarto mulier dicitur חטמאה polluta; „ p. 19. Ergo ejusdem capitis versu prjmo ערוה significat „ adulterium. Hoc profectò tam illi est consequens, „ quàm illud ἀ τοπὸν: Baculus est in angulo, ergo lapis est homo: siquidem modo & figura perbellè congruunt; nempe iisdem, quibus quidlibet sequitur è quolibet. Attende itaque, & quàm toto errâris cœlo, paucis docebo. Primùm, etsi ערוה cùm ad personam refertur, hominis pudenda notet; tamen cùm ad alias res transfertur, aliud significat, quòd in iis tuipe & tegendum videatur: ut ערות ארץ *nuditatem terræ*, id est, immunita terræ. Gen. 42. 12. Atquî hoc loco quæ res ea sit, non ponitur definitè, sed incertum relinquitur: ערות דבר *nuditatem rei* ait Moses, id est, cujusvis rei fœditatem turpitudinémve, quæ in conspectum veniens, pudorem incutiat;

quemadmodum capitis præcedentis versu 14. Moses Israëlitas monet, ut ad requisita naturæ foras extra castra exeant, egestúmq; excrementum defodiant, terráq; obruant, *ne Dominus qui in castris ipsorum versatur, videat in illis* ערות דבר *nuditatem rei* (id est turpem rem, fœdámve aliquam) *& aversetur eos.* Ex hoc vno loco, & Mosis ipsius locutione, tam paucis lineis ante hanc legem, perspicuum est, constátque planè, quid sit apud Mosem ערות דבר nempe res quælibet fœda, turpis, obscæna, sordida, deformis, quæ abhorret ab oculorum, auriúmq; approbatione. Verùm hæc vocabula, vel Hebraismum ערות דבר *nuditas rei* pro membro genitali, vel pudendis nusquam invenies gentium. Prætereà demus nomen ערות pro pudendis hîc accipi potuisse; nullum tamen illorum usum, quod ad copulam carnalem attinet, multò minus abusum eorundem in adulterio, aut scortatione notare potest. Nihil enim hîc habetur de retegendo, vel revelando nuditatem, vel verbum aliquod simile, quod huic nomini adjungi solet, quoties ad copulam carnalem, coitúmve significandum usurpatur: sed tantùm מצא *invenit.* Et qualem quæso tu facies hujus legis constructionem, & sententiam, si ערות de pudendis intelligas, cùm eorum in uxore inventionem legitimam diuortii causam pronuncies? Sed ut hoc lectoris iudicio relinquamus, dico edico tibi adulterium hac phrasi Hæbraica מצא בהערות דבר significari, ne tum quidem probaturum te, cùm volitent pisces, & maria vites ferant, ut est in proverbio.

Jam verò, ut manifestum sit omnibus, atq; ante oculos positum, causam Divortiorum, de quibus in hac

hac lege fit mentio, non fuiſſe adulterium, ſed rem aliam quamlibet, quæ mariti voluntatē ab uxore alienaverit, inviſámque ipſi reddiderit, ſiue ea fuerit turpitudo in deformitate corporis, ſiue morum incommoditas & perverſitas, ſiue naturæ ſterilitas, ſiue aliud quippiam quod offenſionem haberet, putà Scraptea, ſcrupea, ſtrativola, ſordida fuerit, ut eſt apud Plautum; legiſlatorem ipſum conſulamus. Is verſu 3. cauſam divortij à ſecundo viro his verbis commemorat, *& ſi maritus poſterior oderit eam.* Hoc ἰσοδυναμεῖν, & æquiparari ad id, quod de priori marito dixerat, *quia invenit in ea rem turpem,* quis non videt? Atquî odio non ſolùm materiam præſtat adulterium, ſed res quælibet in quam concitata gravis offenſio amorem imminuit. nam odiſſe, & amare contraria ſunt; ſimulque quæ amatur contraria eſt ei quæ odio habetur. *Lea erat* שנואה *exoſa. Gen.* 29, 31: neque tamen, opinor, eam adulterij inſimulabis, aut maritum Iacobum zelotypiæ. Sic Deut. 22. 15. *Si cui fuerint uxores duæ, altera amata, altera exoſa,* num tu exoſæ adulterij labem inferre audes, cujus de prole tantæ deo curæ eſt? ſed exoſa eſt non amata, quæ marito non uſque quaque placet, aut probatur, cuique ob quamcunq; cauſam alieniore eſt animo, nec eo, quo uxorem decet amore complexus tenet. Atque hoc vel à Moſe didiciſſe potueras, qui ibidem hanc animi adfectationem his verbis complectitur. *Si non invenit gratiam in oculis ejus:* & ſimiliter Deuter. 21. 14. divortij cauſam hac verborum comprehenſione explicat אם לא חפצת בה *ſi non ſederit animo tuo,* ut habet vulgatus interpres; *Si non complacueris tibi in ea, id eſt, non ames eam,* ait Vatablus. Quinimo

Aul. Gel. l. 3. c. 3. ex Plauti Nervularia.

nimo Moſes in hac lege non obſcurè innuit, uxorem ante repudiationem fuiſſe a pollutione adulterij alienam & immunem, cùm eam טמאת id eſt adulterio pollutam, non prius dicat, quàm alteri viro nuberet, & illo facto adulterij crimine teneretur. tum demum טמאה eſt, polluta ſcilicet adulterio (quod id verbi ſignificat apud Moſem, ut cernere licet. Num. 5. 13.14). Vnde ſequitur, antè intemeratam fuiſſe & incorruptam, atque ab omni adulterio alienam. Non enim dicit Moſes poſtquam ab hoc homine, vel ab illo, aut hoc vel illo modo polluatur; ſed abſolutè, & univerſim אחרי אשר טמאת *poſtquàm polluerit ſe.* Neque tàm cauſam reddentis, quare uxor non ſit reducenda, vox iſta eſt, quàm tempus ſignantis & definientis, à quo reductio incipit eſſe illicita; videlicet ab eo tempore quo cœpit pollui: id autem non fit priuſquam alteri viro copuletur; ergo ante ſecundum conjugium nequaquam fuit adulterij rea. Præterea priori marito integrum erat uxorem repudiatam in matrimonium reducere, antequam polluerat ſe; ſed poſt repudiationem, antequam nupſiſſet alteri, licebat priorem uxorem reducere: ergo antequam nuberet alteri uxor, illa non polluerat ſe. Poſtremò, quæ facta eſt polluere ſe, voluntariæ pollutionis inſimulari non debet; ſed repudiata hæc facta eſt polluere ſe (id enim notat verbum טמאת) id eſt mariti injuſtitia ejecta ingratis coacta eſt ad ſecundas nuptias confugere; ergo non debet repudiata hæc voluntariæ pollutionis inſimulari. Quæ ergo licentia hæc, atque immoderata inhumanitas, tot integras & innocentes uxores ad libidinem tuam adulterii condemnare? Longè aliter exiſtimavit Deus optimus

Deut. 24. 4.

timus Max. qui cùm apud Jeremiam prophetam spiritualem populi sui scortationem, & idololatriam cum uxoris lascivientis & impudicæ adulterio comparare voluit, non putavit ad suum institutum quicquam facere, si repudiatam appellaverit, nisi post repudiationem alteri viro nupsisse eam ostenderit, atque illo facto adulterij ream extitisse. satis enim perspectum exploratúmque habuit, uxores apud illos frequentissimè repudiari solere maritorum injustitia, atque intemperatæ cupiditatis libidine, absque sua culpa: & proinde quodammodo fuisse eas irreprehensa voluntate, in quas leges Civiles non esse animadvertendum statuunt. Quod ut planius atque apertius tibi constet, cogita quæso quæ ratio Deum sanctissimum moverit, ut sacerdotis filiam, quam pater viro extra sacerdotalem familiam elocârat (quo facto à mensæ sacerdotalis communione [a] arcebatur) si viro illo posteà repudiari contigerit, modò liberorum expers veniret, [b] ad sacratissimam suam mensam, & illibatas epulas admittat. Num adulteras & impudicas Deum convivio excepisse, & sacerdotum suorum contubernio dignatum esse reris? Enimverò ut aliarum tribuum uxores id impunè habuissent, certè in sacerdotis filia tantum scelus nullo modo impunitum tulisset Deus; quam etiam ante nuptias scortari ausam, igni cremandam damnat, *quòd patrem prophanavit*. & quæ non solum patrem, sed maritum etiam suum prophanavit, jus matrimonii castum violavit, fœdus Deo authore & teste ictum neglexit, fregit, rupit; istam tu in sacerdotis sanctissimi ædibus toleratse, atque suo ipsius cibo sustentasse Deum facies? Cogita & alterum

Jer. 3.

Cod. l. 9. t. 9. ad legem Jul. de Adul. & stup. l. 20.

[a] Levit. 22. 12.

[b] Levit. 22. 13.

Levit. 21. 9.

Deut.23.18. rum illud; Meretrices Deus ſuis ſacris interdixit, & ne ſcorti pretium pro ullo voto ſibi offeratur, lege lata pleniſſimè vetuit. Atquî Repudiatæ vota omnia
Num.30.10. rata eſſe jubet, atque accepta habet Deus: כל אשר אסרת עליה יקום עליה *quodcunq; ipſa ſe obſtrinxerit ratum eſto*, inquit: nõ ergo pro ſcorto eam habuit, ut, ne adulterii pretium offerret, eſſet cavendum. Atq; ex his omnibus jam tibi luce clarius eſſe exiſtimo, nihil minus ex ipſiſſima legis litera apud Moſem poſſe exprimi, quàm unicam illam, quam arbitraris, divortij cauſam fuiſſe adulterium.

Venio ad interpretes, & eorum ſenſa non magis pro tua ſententia facere, patefaciam. Chaldaicus Paraphraſtes levitici 18. alijſque locis, in quibus ערוה verenda notat, aut in ejuſmodi verborum comprehenſione ponitur, quæ coitum indicat, ſemper interpretatur עריה *nerjath.* at hoc loco, ut aliud eſſe, aliúmq; habere ſignificatum oſtendat, vertit עברת פתגם *offenſam rei*, id eſt, offenſionem rei cujuſvis. Verùm hujus interpretis apud te mentio nulla. Sed ſeptuaginta Græcos ſummo ſtudio premis:
Pag.12. qui legunt (ais) ὅτι εὗρηκεν ἐν αὐτῇ ἀσχημόν πρᾶγμα, & primùm hîc πρᾶγμα vertis *opus*, ut non ſolùm malæ famæ, ſed etiam facti ream peragas; cùm Latina ipſorum tranſlatio, quam mox tute profers, non *opus*, ut tu, ſed *rem* verterit. & qui Biblia Græca vel tantillum verſarit, compertiſſimum habet, τὸ πρᾶγμα, non tam *opus*, quàm *rem* ſignificare: ut capite Deuteronomij præcedente ver. 19. *& uſuram* πάντος πράγματος, *cujuſlibet rei.* Heb. 10.1. *Non ipſam imaginem* πραγμάτων *rerum.*
Pag.12.l.13. Deinde epitheton ἀσχημὸν urges, *quo verbo Apoſtolus Paulus utitur* (inquis) *ad ſpurcitiem, & impuritatem exprimendam.*

exprimendam. Rom. 1. 27. 1. Cor. 12. 23. & 7. 36. Apoc. 16. 15. Utitur quidem Apostolus Paulus hoc verbo pro eo quod obscœnum & spurcum est, quodque turpitudinem habet conjunctam: at nominatim pro adulterio, aut scortatione usus est nunquam. Septuaginta verò interpretes, quorũ authoritate hoc argumentum tuum nititur, res ejusmodi hoc vocabulo significant, quæ a scortatione & impuritate carnali longè absunt. quod vel in capite Deuteronomii præcedente videre poteras, in cujus versu 14. ἀσχημοσύνη πράγματος rem quamlibet, quæ deformem habet aspectum, generatim significat: & ver. 13. speciatim humana excrementa ἀσχημοσύνη appellantur. Quod autem scribis *Paulum hoc verbo uti* 1. Cor. 12. 23. *ad carnalem spurcitiem, & impuritatem exprimendam,* SIMILITER *at quo usus est* Rom. 1. 25. *& eandem insuper phrasin eodem* PLANE *sensu usurpari.* 1. Cor. 7. 36. Apoc. 16. 15. parum exquisitè, aut compertè à te scriptum videtur. Nam vocabulum τὰ ἀσχήμονα. 1. Cor. 12. 23. quod recitas, quid valeat, quamq; vim habeat, minimè vides. namque non tantùm membra genitalia, quæ libidinis instrumenta sunt, designat; sed alias etiam corporis partes, quæ ad naturæ necessitatem datæ sunt, quæque Cicerone teste aspectum deformem habent ac turpem; cujus quidem deformis aspectus ratione, id nominis a Paulo sortita sunt: quasi Deformia dixeris, vt a pudore pudenda. Id quod ex ejus contrario εὐσχημοσύνη ibidem posito facilè intelligi potest, quod ibi non internam animi virtutem honestatemvè, sed externum corporis ornatum, speciémque honestam significat. Et in illo altero loco tuo 1. Cor. 7. 36. ἀσχημονεῖν nihil denotat minus, quàm libi-

Pag. 12. l. 15.

Cic. off. l. 1.

dinem, aut flagitium aliquod; ſed de eo, quod indecens & indecorum eſt, dicitur, nec omnino aptum, aut conveniens publicis moribus, aut parentum ſtatui & inſtituto. Et Apoc. 16. 15. ἀσχημοσύνη nudi corporis deformitatem notat, quam tacito quodam naturæ ſenſu citò erubeſcimus, ſine omni admiſſi ſceleris conſcientia. atque ita utuntur Septuaginta ijdem interpretes. Deut. 25. 3. ᾗ ἀσχημονήσει, & *deformis reddetur frater tuus in conſpectu tuo.* loquitur enim de corpore flagris cæſo, & verberibus turpificato. Denique apud Græcos ſub voce ἀσχημοσύνης quæ ſit ſubijcienda ſententia, vel vnum hoc Agathonis apud Platonem & verè & aptè dictum declarat: Ἀσχημοσύνη, ᾗ ἔρωτα πρὸς ἀλλήλους ἀεὶ πολεμοῦς id eſt: Deformitas, & amor ſempiterno quodam bello inter ſe decertant. In Caſtallionem plus æquo es injurioſus, cùm eum in opinionem tuam teſtem cites, qui tam apertè & palam teſtatus eſt, ſuum in ſacrarum literarum libris latinitate donandis inſtitutum fuiſſe, non ut ad controverſias dirimendas ipſius tranſlatio adhiberetur, ſed ne quem deinceps orationis obſcuritas, aut horriditas ab horum librorum lectione revocaret. Viderat enim multis veniſſe uſu, ut ab ijs cognoſcendis retraherentur inculta aliorum interpretum oratione. Et quid ille, quæſo? *inhoneſtum* inquis *legit.* Quid tum? Neminem opinor latet multas eſſe inhoneſti partes, quæ ab adulterij crimine longiſſimè abſunt: neque te profectò latere poteſt, pura latinitate (cujus præcipuam habuit rationem Caſtellio) inhoneſtum non rarò corporis deformitatem ſignificare.[a] *Illumne obſecro inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt heri?* quemadmodum & contrà, Honeſtum formæ bonitatem

Plato in Symp.

[a] Ter. Eunuch. act. 2. ſc. 3.

tatem & fælicitatem apud eundem indicat. [b] *Erat forma honesta, & liberali. At*, inquis [c] *Vetus interpres fœditatem vertit.* Quasi verò nos non intelligamus, quid latinis sonet hęc vox fœditatis. [d] *Nunc tibi fœdus videtur, quia illam non habet. Ter. Fœda persona senectutis.* Cic. Vtrum tu animi improbitatem, an corporis deformitatem his vocibus subiectam putas? Sed perge. *hoc autem vocabulo fœditatis vetus interpres frequentius utitur ad carnalem impuritatem denotandũ, ut Gen.* 34.7: 2. *Sam.* 16. 21. *levit.* 15. 3. *&* 18. 19. Magno sane studio investigasse omnia, omnésq; locos accurata diligentia conquæsiviſſe videris, adeo ut vocula fœditatis in livitici decimo octavo capite oculos tuos lynceos fugere nequiverit, quæ non nisi semel tantummodo ibi visitur; cum decies & octies verbo turpitudinis eodem in capite idem interpres eandem vocem Hæbræam transtulerit: & nihilominus apparet magna te exemplorũ penuria laborare, cum locum 2. Sam. 16. 21. ad hoc propositum adducas; in quo Absolom Dauidem *patrem fœdasse* dicitur, quod de carnali impuritate quomodo intelligas, non video. nec magis dispicio, quomodo *fœdus humor*, cujus mentio habetur levitici decimo quinto versit. 3. ad adulterium, aut flagitium simile trahi possit. Sed esto: Scortationem aliquando generali nomine fœdam rem verterit interpres ille: num tu à genere ad speciem argumentando, quotiescunque fœditatis mentionem fecerit, de adulterio mox intelligi debere contendes? Vaccas illas septem macilentas, strigosas, & deformes appellat idem interpres [a] *fœdas*. Et humorem deciduum, ac purulentum [b] *fœdum*. Et excrementum corporis humani, ac

[b] *Ter. Andria. act. 1. sc. 1.*
[c] Pag. 13. l. 2.
[d] *Ter. Eunuch. act. 4. sc. 4.*
Pag. 13. l. 5.
[a] *Gen. 41. 3.*
[b] *Levit. 15. 3.*

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

[c] Deut. 23. 14. [d] Deut. 25. 3. ſorditudinem omnem [c] *fœditatem.* Et cæſum hominis corpus [d] *fœdum.* Numquid his omnibus diem dices, & adulterii rea citabis? Certè falſum manifeſtò eſt, quod aſſeris, *hoc vocabulo veterem interpretem* FREQVENTIVS *uti ad carnalem impuritatem denotandam*, cùm vix ſemel in eo ſignificatu capiatur. Pag. 13. l. 6.

Tremellium, & Junium miſſos facio, qui à tuo Paradoxo ſemper alieniſſimi fuerunt, quorumque interpretatio, & obſervatio quantum à tuo propoſito abhorreant, ea, quæ antè à me dicta ſunt, explanarunt ſatis. Ex quibus omnibus diligenter penſitatis, liquere tibi ſpero, quàm incaſſum reciderit omnis hæc opera, atque impenſa tua; adeo ut concluſio illa tua in te retorqueri meritò poſſit: *In originali textu Deut. 24. literam Moſaicam divortium, & ſecundas nuptias* non *propter adulterium ſolum apud Judæos inſtituiſſe: quæ quidem textus litera tam dilucida, tam nativa eſt, ut ſi ad eam poſthac impingas ad ſolem ipſum caligare, & cæcutire videaris.* Pag. 14. l. 1. 14. 16.

Accedamus jam ad alterum diſputationis tuæ firmamentum, quod in doctorum hominum autoritate, & conſenſu poſitum eſt. Duos autem de bibliotheca tua in aciem producis, Epiſcopos ambos, & ſummos viros, BVRGENSEM, & ABVLENSEM: quorum autoritas magni apud te ponderis, & momenti eſt. Quod Burgenſem attinet (quem Paradoxi hujus autorem agnoſco) quod olim quendam de plærisque ejus ad Liram additionibus (quod ille *corruptorium Liræ* nominat) dixiſſe memini; id in hac cauſa veriſſimè pronunciatur, BVRGENSIS DELIRAT, QVIA CVM LIRA NON CON- Pag. 14. l. 20. Pag. 15. l. 10. *Burgenſ. in Præfatione.*

CONCORDAT: & pro reſponſione ad Mathiæ Doring *correctorium corruptorij* te mitto; qui in Replica ad Mat. 19. hunc Burgenſis errorem ſatis videtur refutaſſe. Hoc unum ei addo, quo fontem & caput erroris Burgenſiani inſpicias, nempe deceptum Burgenſem quòd dictionem ערות eodem ſignificatu in hac lege acceperit, quo Levitici decimo octavo ponitur. hanc enim unam ſententiæ ſuæ rationem aſſignat, *quòd hæc quidem dictio ſub eadem forma ponitur ſupra Levit.* 18. *ubi de adulterinis, & inceſtuoſis coitibus agitur.* Ubi quàm turpiter homo Hebræus in dictione Hebraica impegerit, aberraritque, ex iis quæ ſuperiùs à me dicta ſunt, ſole ipſo illuſtrius & clarius exiſtimo. Neque multum me movet Originis Adamantii exemplum, quem tu autoritate pluſquam pontificia in * Divorum album effers; [a] *poſt damnationem ejus ab Anaſtaſio Papa pontificia autoritate inflictam; poſt ejuſdem reprobationem in ſexta ſynodo pronunciatam; poſt tot antiquorum patrum in idipſum conſpirantes ſententias.* Licuit illi in re dubia, nec magni quidem momenti, Hæbræo cedere: mihi verò in re manifeſta, magníque ponderis Judæo contra ſcripturas credere, fas non eſt.

* Pag. 16. l. 1.

[a] *Caſ. Bar. Ann. Eccl. tom. 2. p. 512. Bellar. de Purgat. lib. 2. c. 8.*

Quod Abulenſis fatetur, *hanc quoque eſſe opinionem Judæorum omnium, quòd nullo modo liceret Judæo ſecundùm hanc legem repudiare uxorem, niſi propter ejuſmodi turpitudinem, quæ fornicationem includit*; libenter admittimus, & amplexamur: ſi de eo quod per naturam fas eſt, aut per legem divinam licet, intelligatur. nam utrique horum hæc repudia æquè repugnaſſe, ex eo Hæbræis conſtare poterat, quòd Moſes repudiatam ex novo conjugio, vivente priore marito, ſcelere

Pag. 15. l. 5.

ſcelere nefando pollutam eſſe, adfirmatiſſimè ſcribat, atque ejus ſceleris culpa maritum priorem teneri, qui ejus admittendi autor erat: (nam id utrumque vox ערות complectitur) quod ſanè nullo modo licuiſſe ſatis oſtendit. Verum enimverò ſi de eo loquatur, quod apud Iudæos erat factitatum atque in more poſitum, inſtitutóque ipſorum, cui illa lege Moſaica cautum erat; tota reclamabit Iudæa, Iudæorúmque per univerſum orbem deductæ coloniæ, & ſi quid illorum ſepultæ reliquiæ ſapiunt, aliter ſentiunt. quibus uxores ob leviſſimas quaſque offenſiones dimittere non ſolùm uſitatum, ſed penè etiam quotidianum erat. Neque à nobis hîc quæritur, utrum ejuſmodi divortia fuerint licita; ſed an à Iudæis factitata fuerint, & in vitioſos ipſorum mores inducta; quibus Moſes hoc edicto cavendum exiſtimavit, ne ſine libello repudij, & libertatis teſtimonio uxor dimitteretur; nec marito poteſtas eſſet, eam iteratò in matrimonium ducere, poſtquam alteri ſuccubuiſſet. Certè ex numero *Hebræorum omnium* Phariſæos ſaltem illos excepiſſet Abulenſis, qui ad ſervatorem Chriſtum Mat. decimo nono acceſſerunt, & dubio procul pro communi opinione tenuerunt, licere cuique uxorem dimittere quavis de cauſa; & audito, Chriſtum aliter palàm docuiſſe, (quod in monte eum feciſſe conſtat) tentandi ejus, & irretiendi cauſa hanc quæſtionem ei poſuerunt, occaſionem ejus in vulgus calumniandi atque per omnium ora traducendi captantes; quòd contra mores patrios, inſtitutáque majorum docuiſſet. Hæc origo proponendæ illius quæſtionis, hæc occaſio fuit: apageſis, cum cornuto tuo argumento, cujus alterũ cornu è cujuſcunque,

κατὰ πάσαν αἰτίαν.

Pag. 24

que, aut quanticunque hominis capite natum, merum figmentum est, *& vanitas nullis fulta adminiculis, nullis nixa vel umbris rationum* : ut tua in te contorqueantur. Et quis non miretur, audaciamnè tuam, an inconsiderantiam dicam? cum ais : *Vbi hujusmodi phrasis* TENTANDI *usurpatur, cum dilemmate quodam, & Chrocodilito argumento adoriuntur, sibiipsis plane persuadentes quicquid is responderit, se tamen nactos esse quod calumnientur.* Nam primò quænam cornua ad caput hujus tentationis adfiges, qua Pharisæi Christum *tentabant, quærentes ab eo signum? Mat.* 16. 1. aut qua Legulejus tentat *Christum*, rogitans, *Quod est maximum mandatum in lege?* Mat. 22. 35. Deinde quid verbi est chrocodilitum? Crocodilinarum ambiguitatum meminit [a] Quintilianus : & crocodilos faciendi [b] Lucianus. sed chrocodiliti argumenti, quod sciam, nemo. Præterea, quæ te Sophistice docuit, crocodilinum argumentum cum Dilemmate tanquam τὸ ἰσοδυναμοῦν jungere, & copulare, quæ natura & genere disjuncta sunt? Dilemma namque est λόγος ἐπιτετὸς ad Dialecticen spectans, quo & servator Christus adversarios solet premere. Crocodilus verò, vel argumentũ crocodilinum est λόγος ψευτὸς, & ψευδόμενος, & captiosa argutia ad Sophisticen pertinens : quale est illud Crocodili sophisma ad surrepti à se pueri matrem mulierem Ægyptiam : *Vtrum reddam tibi filium, an non reddam? Dic verum, alioqui non recipies. Si dices Redditurum, retinebo; quia mentita es: Si Non redditurum, retinebo; ut sit verum.* Huic affine est & illud apud Chrysippum : εἰ π ὐκ ἀπίβαλες, πῦτο ἔχεις : κέρατα δ' ὐκ ἀπίβαλες; κέρατα ἄρ' ἔχεις. Quod sic reddit [c] Seneca acutam vocans deliberationem,

[a] *Quint. orat. instit. lib.* 1. 15.
[b] *Lucian. ytxp.* 1

Pag. 31. l. 22.

Pag. 24.

[c] *Seneca l.* 6. *epist.* 6.

Quod non perdidisti, habes: cornua autem non perdidisti; cornua ergo habes. Hoc Sophisma, quòd in eo cornuum fit mentio, κεράτινος λόγος dicitur; ut alterum illud ab autore, Crocodilinum: ad quæ alludit [d] Lucianus: κέρατα φύουσιν ἀλλήλοις, καὶ κροκοδείλους ποιοῦσι. quæ duo disjungit [e] Quintilianus, *non quia ceratinæ, aut crocodilinæ (ambiguitates) possint facere sapientem; sed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli:* eadémque in exquisitis ambiguitatibus, & captiosis argutiis numerat, quibus Fallere finis est. Tu verò cum Dilemmate confundis, à quo quantum differant apud [f] Ludovicum Vivem, si lubet, videre poteris. Sed ad rem. Proposita hac à Pharisæis quæstione, atque ex autoritate legis Mosaicæ confirmata; non diffitetur Christus, Mosem ea lege, ob Judæorum obstinationem ac inveteratæ consuetudinis pervicaciam, eis permisisse uxores dimittere, idque κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *qualibet de causa:* nisi enim de divortiis *quavis de causa,* illud Christi responsum intelligatur, quis tam rationis expers est, qui eum οὐδὲν πρὸς ἔπος, quod aiunt, & planè ἀπροσδιόνυσα respōdisse non fateatur? Habemus ergo Christum pronunciantem, illa apud Mosem divortia, non ob fornicationem solùm, sed quavis de causa fieri potuisse. Atque in hujus αὐτοκράτορος & αὐτογνώμονος sententiam vel pedibus iri oportet; cujus unius vox senatorum tam principum, quàm pedariorum autoritati intercedere sola potest. quibus omnibus ipsius αὐτὸς ἔφα vim legis in æs incisæ obtinere debet, contempto delirante Burgensi tuo; qui quantumvis Episcopatus dignitate præluceat, cùm Christo tamen palam adversatur, parùm christianus censebitur: quem tu Pedarium Senatorem

[d] *Lucian. vexp. 1.*

[e] *Quin. ora. inst. l. 2. c. 15.*

[f] *Lud. viu. de cens. veri & falsi. l. 2.*

Senatorem meritissimò appellas, id est, infimo loco, cui pedibus in curiam itandum, néque sententiam rogandus unquam esset: adeo ut Pedaria sententia, caput sine lingua à Liberio diceretur: at hæc Burgensis tui sententia lingua sine capite, id est, sine ratione, jure vocari poterit. Pag. 15. l. 18. *Gil. l. 3. c. 18.*

Tertium confirmationis tuæ caput testimonium habet servatoris Christi, quem in tuas partes trahere obnixè admodum, sed frustra conaris: in quo quidem longior es, & verbosior; sed ego universam argumentationem tuam paucis complectar, & brevissimè refellam. *Christus* (inquis) *in omnibus illis mandatis, quæ Mathæi capite 5. explicat, non agebat legislatorem, sed legis interpretem & instauratorem: Ergo cùm ait, Ego autem dico vobis, Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari: explicat legem Mosis, acsi dixisset. Ego dico vobis quòd per legem Mosis, Quicunque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* P. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Hæc summa est prolixæ confirmationis tuæ: cui labori, ut prorsus supervacaneo, facilè parci potuerat, atque illi simul digressioni de lege Mosaica abroganda, quam paginis 39. 40. 41. 42. 43. 44. institutam fusè persequeris; si distinctionem illam facilem, & expeditam animadvertisses inter *Præceptum & Permissum*, quàm servator apud Mathæum capite decimo nono disertis verbis τῦ ἐνετείλατο, & τῦ ἐπέτρεψεν luculenter exprimit. Nam cùm à Pharisæis premeretur; Si non est licitũ uxorem quavis de causa dimittere, *Cur Moses* ἐνετείλατο PRÆCEPIT *dare libellum repudij, & dimittere?* omisso altero membro de libello repudii, de quo non controvertebatur (ut facessant

sant illa tua, de duplici responsione ad duas quæstiones, quæ pagina 27. intertexis) hac adhibita distinctione ad id respondit de quo quærebatur; nempe de dimissione uxoris: aítque, *Moses* non præcipit, sed ἐπέτρεψεν PERMISIT *dimittere uxorem.* Quæ legum distinctio quanti sit momenti in constitutione legitima, Autor ad Herennium te docuisset. Cùm duæ leges inter se discrepant, videndum utrum leges ita dissentiant ut altera jubeat, altera vetet; an ita, ut altera cogat, altera permittat. Infirma enim erit ejus defensio qui negavit se feciſſe, quod cogeretur, quum altera lex permitteret: plus enim valet sanctio permissione. Hæc ille. Et quantum hæc duo differant, quis non videt? Jubemus enim licita, & necessaria: permittimus non necessaria, & nonnunquam etiam legibus prohibita; ait alter. Legem cùm dicimus, eam intelligimus quę divinę voluntatis norma est, & boni, veri, justi, casti perpetua regula: de qua Paulus, *Lex sancta est, ac mandatum sanctum, justum, & bonum.* Cujus tam ampla sunt apud Davidē elogia & encomia. Psa. 19. & 119. Hujus pars quædam, lex matrimonij est, quæ à Deo opt. max. in ipso humani generis primordio, ἀπ' ἀρχῆς (ut cum Christo loquar) lata est, & verbo promulgata: *Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & illi duo erunt caro una.* Et posteà à Mose in præcepto *Non adulteraberis,* repetita est, & scriptis prodita. Ab hac lege declinatio & deflexio est ista uxorum repudiatio, de qua agitur Deuteronomii 24. & contra ipsam legem permissio: cujus causam assignat Christus Judæorum σκληροκαρδίαν. Permittebatur enim Judæorum ex irroborata & inveterata consuetudine moro-

Com. ad Heren. 2.

Rom. 7. 12.

Mat. 19. 4.
Gen. 2. 24.
Mat. 19. 5.

morositati, ac immorigerationi (ut ita loquar) ut uxores levioribus de causis dimitterent. Quæ quidem permissio sine dubio falsis Pharisæorum glossematis depravatior & corruptior reddebatur. Quare ad hanc legem, τὸν (inquam) ἀπ' ἀρχῆς, veluti ad Lydiũ lapidem revocat Christus, examinátq; tum Mosaicã permissionem, tum ex ea natas Pharisæorum corruptelas: *Ego autem dico vobis, eum, qui dimiserit uxorem suam, extra rationem scortationis, facere, ut ea mœchetur; & eum qui dimissam duxerit, mœchari.* Neque hoc Christus primus dixit: sed Moses ipse, quem in illo capite interpretabatur, luculentissimè expressit; qui Deut. 24. vers. 4. uxorem dimissam, si ab alio post ducta fuerit, הטמאה profitetur. id est, *factam polluere se*, supple, à marito priori, qui uxori sui polluendæ autor erat. Cujus unius Hebreæ dictionis vim, atque ἑρμηνείαν Christus ἐν φράσει hac, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι *facit eam Mœchari*, aptissimè & explicatissimè reddidit. Vides ergo Mosem longè ante Christum, uxoris ex præscripto permissionis istius suæ repudiatæ, posterius conjugium non obscurè adulterium definiisse ac declarasse. Ergo divortia de quibus in ea lege agebatur, quæque ex illa permissione fiebant, extra causam adulterii fuisse necesse est, nisi idem sit & jussum, & permissum; quo nihil potest absurdius cogitari. Clamitas tu: *Christum non egisse legislatorem, sed legis interpretem, ut de eo idem ad unum* (a sic enim te scripsisse puto) *sentiunt omnes ferè & veteres, & novi interpretes.* fateor: sed simul regero; illam repudiationem apud Mosem non esse legem, sed permissionem. Id si inficias ibis, te, & Christum invicem committam, quîcum nolim ea de

Mat. 5. 22.

Pag. 17. l. 3.

a Non unum ad idem sentiunt.

re acriùs contendas, ne δευμαχίαν crimen & contumeliam incurras. à qua fortaſſis minus candidis non
Pag. 18. l. 9. multùm abeſſe videberis, cùm aſſeras: *In illo Moſis affirmativo præcepto oculus pro oculo, dens pro dente Judæos à litera legis fuiſſe alienos, & fuiſſe id phantaſma quod-*
Pag. 20. l. 17. 19. *dam, & traditionem Phariſaicam, cum in legis ipſa litera, & natura nihil eſſet minus: itaque tantum dixiſſe Chriſtum, dictum eſt, nempe per ſcribas, & Phariſæos.* cùm Moſes eandem legem ijſdem illis verbis conceperit, & ter, ne uno mutato apice præſcripſerit: neque à Iudæis in illorum litera, ſed in ſenſu tantùm peccatum eſſe liquidò conſtat, neque tu audeas diffiteri. Poſtremò ut concludam hunc locum è capite Mat. quinto petitum; rectè tu quidem colligis pag. 22. illarum interpretationum & explicationum, quibus Chriſtus in eo cap. ſex leges explanat, unam, eandémque eſſe rationem. quare cùm in quinque explicationibus Chriſtus in retruſam & abditam legis moralis, quæ eccleſiæ dei ſemper eſt inſervitura, mentem penetrat, ejuſque ſenſum nobis expromit, atque ad eam ſuas traditionum Phariſaicarum correctiones dirigit: incredibile videtur eundem in ſexta explicatione ad Diſpenſationem brevi deſituram confugiſſe, & ad Phariſaicorum errorum emendationem praviſſimæ conſuetudinis regulam adhibuiſſe. Quapropter (ut tua ad inſtitutum meum accommo-
Pag. 22. dem) niſi ſervator interpretationes quinque de fonte legis moralis deprompſerit, & ſextam de lacuna conſtitutionis politicæ petiverit; id quod vix veriſimile eſt: Et niſi primæ, & poſtremæ explicationes perpetuò duraturæ ſint, & in medio collocetur alia citò deſitura; id quod mihi incredibile videtur: Poſtremò,

ſtremò, niſi hoc ipſum, Ego dico vobis, in quinque explicationibus referatur ad omnes Chriſtianos, & in ſexta ad Iudæos tantùm; id quod ab omni prorſus ratione abhorret: certum & definitum eſt illa Chriſti verba, *Quicunque dimiſerit uxorem, extra rationem ſcortationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*; non eſſe Permiſſionis, Deuteronomij viceſimo quarto, Iudæis ob cordium duritiam indultæ interpretationem, ſed perpetuæ ſanctionis divinæ, legiſque Moralis explicationem; cui nunquam abrogatum, aut de ea quicquam vnquam derogatum voluit. Math. 5. 32.

Porrò quòd Chriſti judicio te ſiſtas, atque in ejus reſponſo, quod Mathæi decimo nono extat, cauſæ tuæ adjumentum & præſidium petas: inconſideratiſſimæ temeritatis eſſe videtur. Nihil enim eſt uſquam quod opinioni tuæ aut adverſetur infenſiùs, aut eam apertiùs labefactet. Accedunt ad Chriſtum Phariſæi quærentes, εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ *Licétne, aut fas eſt homini dimittere uxorem* κατὰ πασὰν αἰτίαν *quavis de cauſa?* Hoc problema eſt, & futuræ diſputationis fundamentum, quò ſequentes ἀντιλογίαι referendæ ſunt omnes. Et primùm Chriſtus reſpondet per inficiationem οὐκ ἔξεστι, non licet homini dimittere uxorem quavis de cauſa: ratio in promptu eſt, quia id eſt contra legem divinam, & jus matrimonij. Quare ut dilucidior res tota fieret, legem dei ſcriptam de jure matrimonij, quam ſemel in Paradiſo à ſe cõſtitutam per univerſum orbem, omnéq; ævum æterna autoritate valere & vigere voluit Deus, ex archivis Moſaicis in medium profert: *Non legiſtis opificem ab initio maſculum, & fœminã creaſſe, & dixiſſe, Propterea relinquet* P. 23. l. 14. Math. 19. 3. 4. 5.

quet homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori
Math.19.6. suæ, & illi duo una erunt caro? Hinc ducto ὁμολογουμένῳ sic ratiocinatur: [b] *Quod deus conjunxit, homini non est potestas separandi*: At Deus maritum & uxorem conjunxit, ut sint una caro: Ergo homini potestas non est maritum & uxorem separandi. Majoris propositionis veritas, nisi planè ἀθεοῖς aut θεομαχοῦσι, constat omnibus: & planum certúmque facit, non esse ulli creaturæ potestatem leges de divortijs condendi, præterquam uni Deo. Minor propositio τὸ ῥητὸν legis habet. Quid hîc Pharisæi? obmutescunt illicò? minimè: sed ἀνομίαν objiciunt, & contrariam legem proponunt; illam videlicet quæ capite vicesimo quarto Deuteronomij extat, & de qua inter nos controvertitur. *Cur ergo* (inquiunt) *Moses* PRAECEPIT *dare libellum repudij, & dimittere uxorem* supple, quavis de causa? Id enim problema erat, in quo totius quæstionis veluti cardo versabatur, ut tu verè scribis. Ἀνομίαν agnoscit Christus, & fatetur legem illam Mosis de Divortijs quavis de causa factis esse intelligendam. aliâs (ut dictum est) οὐδὲν πρὸς ἐπὶ respondisset. Sed imminuit τὸ ἀξίωμα τοῦ ῥητοῦ autoritatem legis illius, aítque permissionem tantùm esse: *Moses* PERMISIT *vobis dimittere uxores vestras*: & unde ea permissio fuerit, palam ostendit; non ex voluntate dei, aut jure matrimonij, sed ex innatâ ipsorũ morositate & pervicacia, qui optimis assuescere nec duci, nec cogi possent. tum legem contrariam recitat,
8. seu indicat potius: [c] *Sed ab initio non fuit sic.* Hæc est lex illa prima, cum homine ipso nata, in exemplum & perpetuam vitæ regulam omnibus proposita. & protinùs, quia legem illam unico tantum verbo

(non

(non sic) Permissioni oppoſuerat, brevem ejus ἐπεξήγησιν seu declarationem adjungit; atque ad id, quod primùm reſponderat, accommodat: *Quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Hoc Chriſti reſponſum ex contrariarum legum comparatione petitum, Phariſæos omnino compeſcuit. agnoſcit enim ratio & communis ſenſus, plus valere ſanctionem permiſſione; quod homo Ethnicus animadvertit, & tradidit. Tu verò cùm illud Chriſti, *Ego autem dico vobis*, non ad id, quod Chriſtus primùm conſtituit, ſed ad id quod Moſes Judæis indulſit, id eſt, ad Permiſſionem Moſaicam referas; vide ne non ſolùm in Grammaticen & Rhetoricen peccare, ſed etiam communi ſenſu carere judiceris. Hæc enim omnia docent, illud adverſantis *Ego verò dico vobis*, eſſe oppoſitum ei, *Moſes permiſit vobis*; ut Moſi Chriſtus, Permiſſioni Sanctio opponatur. deinde illa, *Quicunque dimiſerit uxorem, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*; declarationem eſſe ejus legis, quæ proximè indicata tantùm, & obſcuriùs poſita erat, *Ab initio non fuit ſic*: non illius, quæ & nonnullis interpoſitis antè præceſſit, & ſatis erat priùs explicata. Neque veriſimile cuiquam videri poteſt, Chriſtum adverſariorum legem bis explicaſſe; ſuam omnino neglexiſſe; quæ non brevi deſitura erat ut Moſaica; ſed in ſempiternum tempus rectè vivendi norma ſuperfutura. Addo etiam illud, quod & antè dictũ eſt: Exceptionem illam Chriſti *niſi ob ſcortationem* cum Moſis Permiſſione conſiſtere non poſſe. nam ex vi illius exceptionis in Diſpenſatione Moſaica inſertæ, Math. 19. 9.

id effici opinor concedes, quòd qui ſecundùm illius Diſpenſationis præſcriptum repudiatam duxerat (ſtante Politia Moſaica, & diſpenſatione illa obtinente) non mœcharetur. Equidem contra hoc nihil hîc à te allatum video: nec quorſum in Moſe pertineret libellus repudii, ejúſque in ipſius repuditatæ manum, certè ad ejus commodum, traditio, diſpicere non poſſum; niſi ut teſtimonio eſſet, ipſam à priori marito liberam & ſolutam eſſe, jámque ſui eſſe juris factam, ut tam ipſi fas ſit, quàm repudianti marito novum matrimonium conciliare. Atquî Moſes diſertiſſimè oſtendit, eum, qui repudiatam ea de cauſa, quam ipſe poſuit, duxerit, adulterio pollui (nam æquè adulter culpa tenetur, atque adultera.) Ergo cauſa repudiationis illius non erat adulterium: & proinde exceptio illa *(niſi ob ſcortationem)* ad diſpenſationem illam Moſaicam quadrare non poteſt. Quare ut tuis te verbis alloquar, frater chariſſime,

Pag. 22. hîc eſt quod te etiam atque etiam obteſter, *ut de hac ſcriptura ſæpe, & multum cogites, & cum dil genti (quod aiunt) trutinâ ponderes: eſto quæſo juſtus & æquus rerũ, verborúmque æſtimator: & ne ſine teipſum in re tam gravi, & tam perſpicua diutiùs labi, errare, decipi; te indignum judicato* [a] Pauli de ſancta Maria *ſententia quaſi torrente rapi, & opinionis alienæ quaſi vento circumferri.*

[a] *aliàs Burgenſis.*

Verum-enimverò quò Moſaica illa lex dilucidior fiat, de qua tota inſtituitur diſputatio, operæpretium erit, antequam ad alia accedam, eam integram recitare, atque oculis ſubjicere. Ad verbum itaque, ſic

Deut. 24. 1. habet: Cùm accepit vir uxorem, & maritavit eam, erit, ſi non invenit ea gratiam in oculis ejus, quia invenit

venit in ea nuditatem rei, & scripsit ei libellum repudii, & dedit in manu ejus, & demisit eam è domo sua: 2. Et ea egressa est è domo ejus, & abiit, & facta est alterius viri: 3. Et odit eam ille maritus posterior, & scripsit ei libellum repudii, & dedit in manu ejus, & dimisit eam è domo sua, aut cùm mortuus erit ille maritus posterior, qui accepit eam in uxorem: 4. Non poterit maritus ejus prior, qui dimisit eam, reverti capere eam in uxorem postquam facta-est-polluere se: quia abominatio est coram domino, & non peccare facies terram quam dominus Deus tuus dedit tibi possidere. Hæc verborum positura structuráque Latinis auribus sonat, ac si lex ista merè Negativa esset; prohibens tantùm priori marito, ne à se repudiatam, & pòst ab alio cognitam unquam uxorem reduceret: quæ verò præcesserunt omnia facti haberent rationem non juris, & per suppositionem (ut loquuntur) essent posita. atque ita doctissimi interpretes Vautablus, & Tremellius sentiunt. quorum sententiæ si assentiaris, nonne actum iri vides de tua exceptione, qua ob adulterium uxorem licuisse illa lege Mosaica dimittere, fásque fuisse doces? Siquidem ex hujus orationis structura, translationisque sensu, Moses nulla re alia permisisse Judæis uxores suas dimittere intelligetur, quàm quòd repudiantes non punierit, neque repudia, ne fierent, ulla lege lata prohibuerit; sed tantùm, ne graviora mala sequerentur, cautum voluerit: qua sola ratione Polygamiam permisisse intelligitur. Optandum quidem fuisset, doctissimos illos viros Translationis suæ rationes è linguæ Hebrææ fontibus, & idiomate, cujus erant callentissimi, posteris tradidisse; ut nullus

vel tenuiſſimus ſcrupulus in animis lectorum reſidere potuiſſet. Sed quia id ab illis omiſſum eſt: ego quantum conjectura aſſequi potero, paucis expediam. Verum quidem eſt, ſolere Moſem verbis præteriti temporis, præfixa conjunctione *vau*, tum imperativum, tum permiſſivum modum exprimere. ut

Deut.22.22. c.22.v.22. *Si inventus fuerit vir cubans cum muliere maritata marito, & mortui ſunt ambo, & ſuſtuliſti malum ex Iſraële*: id eſt, moriuntor ambo, & tollito malum ex Iſraële. Itaque ſi ſubſiſtiſſet Moſes in primo verſu illius legis, nemini dubium fuiſſet, quin hoc ſenſu eſſet accipienda: *Si acceperit homo uxorem, & maritaverit eam, tum eſto, ſi non invenerit gratiam in oculis ejus, quia invenit in ea turpitudinem aliquam, Scribat ei libellum repudij, & det in manum ejus, & dimittat eam è domo ſua.* Neque huic conſtructioni obſtare poteſt quòd illud membrum לא יוכל *non poterit maritus ejus prior, qui eam dimiſit reverti accipere eam uxorem*, reliquis omnibus copulativa *vau* connexis ἀσυνδέτως poſtponatur, acſi id ſolum vim le-

Deut.22.28. gis haberet. nam ſimile eſt ἀσυνδέτον eodem capite viceſimo ſecundo, v.28. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non eſt deſponſata, & prehendit eam, & cubavit cum ea, & inventi ſunt: & dedit vir ille cubans cum ea patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & ei erit in uxorem, propterea quòd humiliaverit eam, non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ.* Hîc quis dubitabit, illud membrum de mulctæ irrogatione præceptum eſſe, & ſic reddendum: *Dato vir ille patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & eſto ei in uxorem.*

Quæ verò ad alteram illam Vatablı tranſlatio-

nem

nem potiſſimùm faciunt, tria ſunt. Primum eſt, quòd verba illa כתב ונתן ושלח in tertio verſu continuativè poni certum ſit; quidni ergo in primo verſu eodē modo capientur, ubi eadem forma, & ſtructura, iiſdémq; accentibus veniunt? Alterum eſt, quòd verbum שנאה verſu 3. quod continuativè, & per ſuppoſitionem (ut loquuntur) ſumi neceſſe eſt, verbis illis verſu primo cohæreat per copulativam *vau*. Quare illa etiam verba ad eundem ſubjunctivum modum, & continuativè, non imperativè capienda eſſe videntur. Neque enim ſolet Moſes omittere conjunctionem poſt tam longam verborum interpoſitionem; quemadmodum videmus poſtea verſu quarto, *aut ſi mortuus erit*: ubi conjunctio אי (*ſi*) exprimitur, etſi nihil erat interpoſitum: quæque ſi fuiſſet omiſſa, ſatis commodè poterat ἀπὸ τοῦ κώλου repeti. Tertium eſt, quòd ἀπολογία legis verſu quarto ad illam negativam partem tota collimet. Quòd ſi his non ſuffrageris, (neque enim ego illis fidem tuam aſtringam) habeant ſanè illa (*Scribat ei libellum repudij, & det in manum ejus, & dimittat eam è domo ſua*) rationem legis, modò Permiſſionem tantùm eſſe è Judæorum pervicacia, & depravatiſſimis moribus ortam, cum Chriſto fateare: id quod in altera etiam Vautabli tranſlatione quivis facilè intelligere & agnoſcere poterit, ut non tam re, quàm orationis ſerie diſſideant. Sed his linguarū peritioribus & Ἑβραϊκωτέροις, atque in ſtylo Moſaico exercitatioribus relictis, ad reliqua tua pergamus; atq; quarto theſeos tuæ propugnaculo ignem ſubdamus: quod abſurdis, coactis, & à vero aberrantibus (ut tibi videtur) illorum hominum ſententijs, qui ante te hunc locum Mathæi

decimo nono explicarunt, ſubſtructum eſt. Illud enim magno ad ſententiæ tuæ confirmationem adjumento eſſe putas, *quòd & ij qui alium ſenſum obtrudunt, coguntur, & impelluntur illius ſenſum huc & illuc diverſimodè torquere & flectere, & ad varias neſcio quas mutationes confugere, &c.* Et mox: *Ex hac multiplici & infinita opinionum varietate, intelligere poſſumus eos extra chorum, quod aiunt, ſaltaſſe in hoc loco enodando & enucleando, & in errores incidiſſe, & conjectura aberraſſe, &c.* In illo extra Chorum ſaltantium numero, quem adſcribis, te ipſum, vel inter primos reponere licebit, qui omnium maximè videris (quod Plutarchus de Herodoto dixit) ἐξορχούμενος τὴν ἀληθείαν à veritate deſultaſſe, ipſámque ob ineptam ſaltationem amiſiſſe. Namque ut reliquas à veritate deflexiones & aberrationes tuas, in ipſa tractatione obſervandas, omittam: quid obſecro vel ab humanitate ipſa alienius, vel à caſto & ſacroſancto Matrimonij jure magis abhorrens cogitari poteſt, quàm eum σκληροκαρδίας animíque feri, ferrei, crudelis, inhumani condemnare, qui impudicam impurámque adulteram ſine ſupplicio, ſine contumelia liberam dimiſerit? Quemquámne animo tam comi eſſe aut leni putas, qui ſe vidente, uxorem ita patiatur ſuam? Faciles tu quidem, & lenes admodum, molléſque in uxorum obſequium faceres Iſraëlitas maritos, quos ad earum adulteria & ſcortationes ita connivere velles, ut ea celarent occultaréntque, ac tantùm non lenones agerent. Talem in adulteras facilitatem lenitatemvé nec præcipit, nec probat Deus, ſed in earum punitionem jubet inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur reæ: *Moriuntor ambo,*

Pag. 28.

Pag. 29.

Plutar. l. de cacoeth. Herod.

ambo, adulter, & adultera; ſicque tollito malum de medio tui. Vides qua ſeveritate ſupplicia, repudiatione omni longè graviora, ſanciantur cogantúrque; quæ niſi pari fide exequantur, omnes, ſceleris ipſi tenerentur, pœnáſque negligentiæ & nequitiæ luerent. Qui vana indignatione tantùm ad accuſationem uxoris incitatus fuit, atque ex levitate & ſola ſuſpicione proceſſit, huic permittit clementiſſimus Deus, ut uxoris nomen Judici eccleſiaſtico de adulterio deferat, qui non ſolùm rem totam, pro debita tanto delicto ſeveritate, examinaret, uxorémque illam ad ſolenne juſjurandum adigeret; verum etiam diræ aquæ potionem, omni & quæſtione, & purgatione Civili certiorem adhiberet: neque tamen durus maritus eam ob cauſam vel pœnæ, vel infamiæ ſubijci poterat, quamvis uxor ejus vel Suſanna caſtior comperieretur. at quem juſtus & verus dolor ad uxoris ἐπαυτοφώρῳ deprehenſæ divortium tantùm impellit, ejus non ſolùm gravatam opinionem, ſed etiam adflictam eſſe ejuſdem judicis ſententia, tu nobis perſuadebis? Vide, quæſo, ne in Deum ipſum, qui purioribus eſt oculis quàm ut ſpurcitiem videat, quique flagitium aut ſcelus aſpicere non poteſt, contumelioſus ſis; cùm eum ſtupris & adulterijs ita favere doces, ut niſi maritus illa in uxore ferat, faveat, palliet, inſigni quadam nota & ignominia lege ſua ſit eum condemnaturus. Certè hæc tua Theologia nova Ethologia nec bona nec ſana eſt; & lege Civili pro lenocinio, habetur: *Crimen lenocinij contrahunt, qui deprehenſam in adulterio uxorem in matrimonio retinent,* ſtatuunt Imperatores Severus & Antoninus. *Retinens uxorem, quam in adulterio invenit, punitur ut leno:*

Deut. 22. 22.

Num. 5. 31.

Abacuk. 1.

Cod. lib. 9. t. 9. ad legem Juliam de adult. & ſtup. l. 2. Baldus ibid.

ait

ait Baldus. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & inſipiens*: ut habet vulgata editio, prou. 18. At à ſeptuaginta majoris ſceleris nota inuritur, & ἀσεβὴς *impius* appellatur.

Pag. 36. l. 3. Vides ergo, dum conſilio, quod alijs præbes, ipſe non pares, Regiæque non inſiſtis viæ, quam alijs monſtras; in quos labyrinthos incideris. Quod ad prolixam illam orationem tuam attinet, qua illorum errores nominatim explicas, qui more diſcipulorum Socratis (ut ex Auguſtino recitas) *quorum non evidenter apparuit quod quærebant, quod cuique placuit, arripuerunt*, (vel *ſumpſerunt*, ut Auguſtinus habet; nam tuum *arrepſerunt* latinis hominibus indictum, inſcitúmque eſt) quia nos minimè attingit, qui Chriſtum Mathęi quinto, verſu 32, novam legem ferre non dicimus, ideo eam prorſus omittam; neque enim aliorum interpretationes propugnandas, ſed tuam impugnandam refellendámque ſuſcepi.

Aug. de civit. Dei. l 1. c. 3.

Arrepſerunt. P. 36. l. 13. ſolœciſmus manifeſtarius.

Pag. 41. l. 16. Atque hæ ſunt murorum illorum minæ, *quibus ſententiam, & interpretationem tuam te ſatis munitſſe opinaris*: quibus veritatis ariete (ut vides) funditus everſis, atque in planum effuſis; quæ reſtant *Probabilia argumenta* (uti vocas) quæque ſententiæ tuæ propugnacula non contemnenda arbitraris, ea omnia primo motu labefactata concident. quare illa ſtrictim tantummodò & curſim tranſgrediar. *Primò* (inquis) *dicitur levitici 21. Sacerdos ſcortum, aut vile proſtibulum non ducet in uxorem, nec eam quæ repudiata eſt à marito: videtur enumerare repudiatas inter meretrices, & ſic tacitè inſinuare Divortium fuiſſe tantum propter adulterium: quæ enim ratio aſſignari vel excogitari poteſt, cur Sacerdos non poſſet ducere repudiatam injuſta*

Pag. 46. l. 20.

Pag. 46.

de

de causa, & pro voluntate viri tantummodo sepositam & abdicatam. Ratio in promptu est, quam Moses etiam ipse assignat evidenter, ut mirari desinas, neque excogitatu sit opus: quia videlicet, si repudiatam duxisset sacerdos, mœchus fuisset manifestarius, cui etiam Plauti Comœdia illuditur: à quo scelere Dei sanctissimi sacerdotem vel longissimè abesse decuerat. Annon hoc tibi satis causæ videbitur? Quam verò tu fingis, ea inepta, aut prorsus nulla est. nam si nulla de causa repudiari potuisset, præterquam solius adulterii; quid opus erat repudiatæ cum scorto mentionem fecisse, cùm ex ipsa repudiatione scortum illam esse, nemini potuerit esse dubium.

Secundò Deut. 22. dicitur. Si vir puellam virginem Pag. 47.
apprehendens dormierit cum ea, & res ad judicium venerit, dabit vir ille patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorē, nec poterit eam dimittere cunctis diebus vitæ suæ: ratio (inquis) *cur eam dimittere non poterat, non erat, quòd eam jam duxerat in uxorem; jam enim licebat uxores dimittere, ut patet Deut. 24. Sed quia eam* [a] *inhonestè, & inordinatè vitiaverat; & ipse eam infamiæ labem asperserat: quam ob causam privilegio dispensationis vir excidebat; cùm posse à nec infamiæ, nec pessimi nominis maculam uxori inurere poterat: eo quod ipse vi, & impetu eam primùm deturpârat, & diffamârat, & in eo vim, & rationem repudii irritam, & inanem fecerat: si enim alias ob causas poterat etiam eam dimittere, & elimare, credibile est hanc solam causam repudii voluisse legem illi prohibuisse, & aliarum causarum sibi copiam fecisse, cùm in unam hanc ipse solùm deliquerat.* Hæc tua conjectura levis & infirma est, nec vel tenuem habet veritatis umbram. nam primò

[a] *Qui potuit honestè aut ordinatè vitiare?*

principii petitione laborat. adulterium enim cauſam divortii inter Judæos aliquam fuiſſe, nondum à te probatum eſt: & ſi fuerit aliqua cauſa, major certè graviórque fuit quàm ut fornicatio ante nuptias, idque cum eo, qui pòſt maritus fieret, eam tolleret aut impediret. Quia uxor Titii ante nuptias à Titio compreſſa eſt, non ſatis habet cauſæ, cur eandem, cum altero poſt nuptias adulteria perpetrantem, punire non liceat. iſta enim non ſunt paria: nec rationi conſentaneum eſt, minus peccatum cum majori committere. At verò, quòd uxorem ante nuptias Titius ipſe compreſſerit, ſatis apparentem habet cauſam, cur eam poſteà ad libidinem ſuam non repudiet, ob ejus odium tædiumvè duntaxat, quia ipſi non uſquequaque placeat, aut alia placeat magis. Deinde conjectura tua turpis & inhoneſta eſt. nam adulterii patrocinium habet non obſcurè; & uxores, ſi cum futuris maritis ante nuptias conſueſcere voluerint, impunè deinceps ſcortandi mœchandique privilegio donat, modò id ita cautè agatur, ut teſtibus revinci nequeant. quo quid Deo adulterii ſeveriſſimo ultore indignius, aut à jure matrimonii caſtiſſimo alienius cogitari poteſt? Atque hæc ſimul ad tertium argumentum tuum reſponſa ſunto, quod à ſecundo, aut quarto quid diſtet non video. Certè eandem uxoribus præclaram conditionem pollicetur, ut ſi futuros maritos in pellicatum ante nuptias poſſint illicere, habituræ ſint ſcortandi impunitatem & licentiam ſempiternam.

Pag. 49. *Quartò dicitur* Deut. 22. *Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit, quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peſſimum, ut dicat patri, non*

inveni

inveni filiam tuam virginem, &c. tollet eam pater, &c. Vbi primùm observemus, non id sufficere ad efficiendum divortium quòd uxores odio prosequimur, & insectamur, nisi secundò quæramus occasiones, & justam aliquam excogitemus rationem; deinde tertiò causa vel ratio illa sit, nomen pessimum, *nempe quòd adultera fuerit, quo nihil turpius, nihil fœdius de fœmina fingi, vel excogitari potest.* Hæc omnia frivola sunt, & fundamento carent. Nam illud secundum tuum de quærenda aliqua occasione, & justa aliqua excogitanda ratione, qua uxorem dimittat, in lege non extat, nec vel umbra ejus apud Mosem apparet; sive in Hæbræo contextu, sive in aliquo interprete, Chaldaico, Græco, Latino, præterquam in una veteri vulgata editione: quam si tu cum Concilio Tridentino Hæbraicæ Scripturæ prætuleris; & in omnibus lectionibus, disputationibus, prædicationibus pro authentica habueris; tibi mecum non erit controversia; sed cum ornatissimo viro D. Thorneo, qui in iisdem illis Academiæ Oxonienses comitiis celeberrimis proximè ante te, eadem penè hora, ex iisdem subselliis, * *Veteris Testamenti libros Hæbraicè conscriptos solos esse authenticos,* acutè & spinosè disputavit. Verba Mosis in illa lege, quam citas, hæc sunt: *Quum acceperit aliquis uxorem, & ingressus fuerit ad eam, atque odio habuerit eam: & imposuerit ei occasiones verborum, & protulerit super eam nomen malum; dixeritque uxorem hanc accepi, & accessi ad eam, & non inveni in ea virginitatem: tunc accipiet pater puellæ, &c.* Hîc duo sunt in marito proposita vitia: primum, odium, quod ad repudiationem, sed cum dote, satis erat: Secundum, non adulterium (ut tu falsò opinaris) sed virginitatis

Conc. Trid. Sess. 4. c. 2.

**Thesi prima Inceptoris Thorne.*

Deut. 22. 13.

14.

15.

tatis ante nuptias corruptæ criminatio; ídque in vulgus ſparſa (quod tu aſtutè retices:) quæ ſi falſa eſſet, marito mulcta pecuniaria irrogabatur: ſin vera, uxor non repudianda, ſed lapidibus obruenda erat. Vides ergo legiſlatorem longè gentium abfuiſſe à tua lenitate illa, qua repudii libellum uxori in matrimonio adulteranti, pœnam ſufficientem ſtatuis, qui virginitatis ante matrimonium libatæ pœnam ſanxit capitalem.

Pag. 49. Quod quinto loco proponis de divortiis ad imitationem Gentilium expetitis, unde colligis, *Quod quamvis Deus illis aliquid indulgentius concederet, non tamen tantum largiretur, quantum gentes vendicabant, & proinde veriſimile eſſe* autumas, *Deum apud populum ſuum ad ſolum adulterium divortium lege reſtrinxiſſe*, quia conjectura tantum eſt, neque aliud quam veriſimile tibi videtur, eadem facilitate, qua proponitur, contemnitur & præteritur. majoris enim momenti res iſta eſt, quàm ut conjecturâ pendatur: qua nihil incertius, teſte Cicerone, utpote quæ in varias partes duci poteſt, nonnunquam etiam in contrarias. Cæterum, quæ à te in hac cauſa adducta eſt ſi-

Cic. de divinat.

Pag. 50 l. 1. militudo ab Eccleſia Iſraëlitica, *qui cùm ad exemplum gentium ſacrificare Moloch voluerunt, id eſt, Saturno, permiſit eis ſacrificium Deus, ſed non permiſit tamen immolare filios*: ad tuum inſtitutum ſatis quadrare non poteſt, niſi Deus & Molocho ſacrificia factitare permiſerit, quod certè Deus tàm Iſraëlitis prohibuit, quàm filios immolare. Deinde neſcio an à vera Theologia alienus videri poſſit, quicunque dixerit, exemplum Molocho ſacrificantium gentium ſacrificationis in populo Dei inſtitutę cauſam fuiſſe. Erant enim

enim in divino cultu & à Deo inſtituta, & ab eccleſia factitata ſacrificia, antequam Molochus, ſeu Saturnus aut Deus haberetur, aut in rerum natura eſſet. Quis obſecro Caino & Abeli, deo litandi, ſacrificiáve faciendi autor erat? aut ad quarum gentium, hominumvé exemplum quæſivere illi hoſtias creatori immolare? ſed hæc πάρεργα ſunt. Quod ad Auguſtinum attinet, quem novi poſt repudiatam adulteram conjugii ſublati patronum ſummum jactant nonnulli, non videtur illud ipſi, non dico ad veritatem, ſed ne opinione quidem ſatis perſuaſum eſſe; ita dubitat, hæſitat, & revocat ſe interdum. Nam libro de fide & operibus, capite decimo nono hæc habet. Quiſquis uxorem in adulterio deprehenſam „ dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus iis, „ qui excepta cauſa adulterii dimittunt, & ducunt: & „ in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & „ iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, „ adulter tamen habeatur ſi alteram duxerit: ut „ quantum exiſtimo venialiter ibi quiſque fallatur. Atque eò loci videtur Auguſtinus in illam ſententiam propenſior, qua ad baptiſmum admitterentur tales: quia non eſt manifeſtum impudicitiæ crimen; ſed an ſit omnino crimen, in dubio relinquitur. Præterea in illo à te citato capite hæc habet: Miror, ſi „ quemadmodum licet dimittere uxorem, ita licet ea „ dimiſſa alteram ducere: facit enim Scriptura de hac „ re difficilem nodum. Quis autem ſit iſte tam difficilis nodus ſtatim ſubjungit; nimirum quia dicit Apoſtolus ex præcepto Domini, mulierem à viro non „ debere diſcedere, quòd ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Quare ſi abſque hoc „

Auguſt. de fide & operib. c. 19.

Aug. de bono conjug. c. 7.

nodo esset, mirari statim desineret Augustinus, neque dubitaret licere dimissâ adulterâ alteram ducere. Atquî hic nodus expeditu facillimus est. loquitur enim ibi Paulus de divortiis, non quæ scortationis causa, sed quæ propter animorum offensiones, odia, dissida, discordias interveniebant: quod cùm
Mat. 19. 6. ex verbo χωρισθῆ, quod nunquam pro legitimo divortio, sed pro separatione illegitima usurpatur: tùm ex verbo καταλλαγήτω, quod dissidia, & offensiones discessionis illius causas fuisse ostendit: tum etiam ex eo, quòd hoc pro Domini præcepto proponat Apostolus: quem causam adulterii disertè excepisse constat; aliisque argumentis pleniſſimè probari posset, si hujus esset instituti.

Pag. 50. Sextum argumentum tuum leviſſima nititur conjectura, quæ ex Iudæorum Polygamiis trahitur; *qua viri quot volebant ducebant, nullas autem dimittebant; nunc autem*, inquis, *si per hanc dispensationem divortij, possent etiam quot volunt dimittere ob hoc solum quia eas odio habuerint, aut quia non invenerint gratiam in oculis eorum, quantam vitæ perturbationem, & confusionem apud talem populum judicabimus? &.* Atquî nos judicamus, repudiationem perturbationum, quæ ex polygamia pullulabant, remedium esse non contemnendum, & ad illa incommoda aliquo modo levanda & lenienda introductam. nam ut duæ, pluresvè uxores (ubi id more institutóque omnium fiebat) cum uno marito si non commodè satis, tolerabiliter saltem agere possent, dum singulas amaret, ac benevolentia complecteretur: (quod non solùm priscis illis patribus usuveniſse legitur, sed etiamnum hodiè apud orientales populos compertiſſimum habetur:) quis tamen

tamen non videt illam adflictiſſimâ & miſerrimâ futuram conditione, quæ cùm reliquæ in delicijs, ipſa ſola odio haberetur? quis vel mori ſatius fuiſſe, quàm eſſe cum ijs, non judicaret? atque eam ipſam ob cauſam videtur Deus apud Malachiam prophetam divortia Judæis conceſſiſſe, ne ſcilicet miſella uxor illorum vexata cõtumelijs, injuriis jactata, vitam quavis morte acerbiorem traduceret. Sed multum tibi debet reſpub. Chriſtiana, qui bellam hanc perturbationis in vita omnis, & ἀταξίας tollendæ rationem primus inveniſti, ut ſcilicet uxores adulteras mariti liberas dimitterent, quibuſcunque viſum fuerit ſtatim nupturas: quò nimirum, cui aliena placeat uxor, propoſita hac ejus poſt divortium potiundæ ſpe, in ſtuprum illicere & permolere modis omnibus ſatagat; quem ſine dubio non admodum ægrè admiſſura eſt, ſi ipſi ille ſimiliter adlubeſcat.

Quod verò adjungis, *vix tibi perſuaderi poſſe, quod homines utut optimæ facultatis, & conditionis voluerunt unquam tot uxores, & tam numeroſas in eorum detrimentum & incommodum aluiſſe, quando poterant propter aliquam levioris notæ offenſionem eas dimittere, & perpetuam ſeriem, & quaſi anſam commutationis arripere:* Videtur illud quidem hiſtoriæ tám priſcæ, quám recenti fidem omnem abrogantis eſſe, & aliorum hominum, civitatum, nationum, gentium leges, inſtituta, mores, juráque omnia abjudicantis & rejicientis; quòd eadem poſita ante oculos ſuos, & in vſu quotidiano collocata non videat. Putaſné priſcos illos Eſaum, Jacobum, Davidem, Solomonem ſubductis calculis, initáque ſumptuum muliebrium ratione polygamiam exercuiſſe? aut illum Arromaiæ apud Quianos Regulum

Pag. 51.

Diſcovery of Guiana, p. 78.

Regulum Topiavarum, qui ad clariſſimum virum D. Gualterum Raleighum uxorum penuriam conqueſtus eſt; aut illos Epuremeos, quibus quinquaginta aut centum uxores erant, de rei familiaris jactura in tot muliercularum animulis facienda cogitaſſe?

Atque hæc ſunt opinabilia tua argumenta; quæ etſi à te probabilia dicantur, nemini certè probata
Pag.51.l.20. videbuntur. *Reliquum eſt* (inquis) *ut illa argumenta diluam, quæ adverſus hanc opinionem inſurgunt.* Quæ porrò à te tibi hoc loco objiciuntur, numero quidem quatuor ſunt, pauca certè illa præ eorum multitudine, quæ tuæ opinioni adverſantur: quorum tria ut leviter quidem premis, ita λύσεις & defenſiones non tàm verborum comprehenſione breves, quàm rationum pondere leves & infirmas adhibes; utì ex meis ad tria illa reſponſa tua reſponſis, majori & brevitate & firmitate (ſpero) patebit.

Pag.52.l.6. *Si opponunt legem Deuteronomii viceſimo quarto. Si invenit vir uxorem, & non invenit gratiam in oculis ejus ſcribet libellum repudii; is locus,* inquis, *intelligatur ſecundùm literam textus, in cauſa turpitudinis, vel fœditatis, vel nuditatis, quæ omnia adulterium ſignificant.* In hoc tuo reſponſo αἰτεῖται τὸ ἐξ ἀρχῆς, utì ea, quæ antè diſſeruimus, ſatis declarant.

Pag.52.l.15. *Sin autem illud urgent Malachiæ. 2. Cum odio habueris, dimitte eam; Illud divortium,* inquis, *eſt faciendum propter id quod expreſſit Moſes Deut. 24. hoc eſt propter adulterium ſolum.* Hoc eſt τοῦ ὑπερβὰ πειρᾶσθαι, & eandem canere cantilenam.

Pag.53.l.2. *Sin verò in apertum afferunt illud Mat. 5.19. Ego dico vobis, quicunque dimiſerit uxorem excepta fornicationis cauſa, &c. In promptu eſt quod reſpondeam,* ais, *nempe*

pe ſervatorem noſtrum ijs in locis non eſſe legiſlatorem, aut Antiquatorem legis Moſaicæ, ſed potius ipſius interpretem, & inſtauratorem. Hæc communis eſt defenſio, tam vitioſa, quàm commune argumentum apud Ciceronem; quod utrique parti æquè poteſt inſervire. nam nos etiam (ut antè liquet) Chriſtum non eſſe antiquatorem, ſed interpretem legis dicimus. *Cic. de Invent.*

Verùm in quarto argumento omnem vim orationis conſumis, nervóſque contendis; quos ego ſtatim incidam atque enervabo; ſi prius totius argumenti hujus (quòd id plurimum adjumenti ad tuam cauſam conferre à quibuſdam, utì audio, judicatur) ſeriem tuis verbis expoſuero. *Objectio tamen illa quæ ſummas* Pag. 53.
vires includit hæc eſt: Deus lege decrevit adulterium morte eſſe puniendum; pœna igitur divortii non erat propter adulterium, ſed alias ob cauſas, & ut voluerunt Phariſæi κατὰ πᾶσαν αἰτίαν: ſi enim morte tollerentur, divortium cum adulterio nullam habere potuit ſocietatem, aut commercium. Verùm reſpondeo has leges poſſe ſimul conſiſtere; videmus enim 20. levitici immunditiam quandam nominari, cujus qui erant rei morte erant mulctandi, interficientur ambo de medio populi ſui: de eodem tamen peccato, & immunditiâ 15 capite tantum dicitur. Immundus erit ſeptem diebus. Ratio autem cur illæ leges inter ſe diſſidebant hæc fuit, nimirum quòd is, qui immunditiem illam contraxerat, aut accuſabatur ab alio quod commiſiſſet, aut non accuſabatur: ſi accuſaretur debuit occidi, tàm vir, quàm fœmina per legem, leuitici. 20. ſi non accuſaretur ab aliquo, non dabatur internecioni, ſed per ſeptem dies remanſit immundus.

Sed ut preſtius agam quam vis idem peccatum diverſis habitis rationibus diverſimode puniatur, id quod os ob-

struat illi objectioni, superiori præsertim adducto exemplo, vobis tamen ante oculos insuper ponam egregium quoddam & insigne discrimen inter adulterium, quod morte erat mulctandum, & id quod divortio castigandum; sicque planè, & apertè convincam non potuisse omnem hominem, qui uxorem in adulterio deprehenderat, pœnam mortis urgere, Sed potuisse tantum libello repudij castigare.

Quod ut melius intelligatur, cognoscatis velim, tres esse in scripturis diversas, ac inter se repugnantes leges circa adulterium, quia tres casus, sive gradus adulterij sæpius occurrunt.

Prima lex est, cum pervasit, & increbuit gravis aliqua, & vehemens suspitio, vir tamen nihil firmiter probare potest, sed fertur impetu quodam, & æstu zelotypiæ propter levitatem quandam, & immodestiam uxoris: in hoc casu concedebatur ei lex purgationis, de qua Numerorum quinto: nuncupatur autem zelotypiæ lex. Vir cujus uxor erraverit, &c. & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus redargui non potest, quia non est inventa in stupro, si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione petita, adducet eam ad sacerdotem: &c.

Alia verò lex est, cum vir deprehenderit uxorem in culpa, & adulterium non latet eum, tamen testibus illud confirmare non potest, in hoc casu concedebatur divortium per libellum repudii, ut Deuteronomii 24.

Tertia lex est, cum vir deprehenderit uxorem in stupro, & potest id coram manifestè comprobare, in hoc casu concedebatur mors, & lapidatio.

Hos autem dissitos, & discrepantes adulterii casus Hæbræi ponunt, unde liquidò constat legem illam, quæ adulterio mortem decernit, nullaratione huic nostræ opinioni,

oni quæ divortium adulterio solo statuit, contradicere aut obviare.

Præterea non poterat maritus tutò insimulare uxorem adulterii; quamvis oculatus fuerat testis illius stupri, nisi etiam poterat in lucem, & medium afferre testes certos, & fideles, quippe quod nisi essent probationes multum lucidæ non condemnaretur uxor: & tamen vir deficiens in probatione criminis, & maleficii condemnaretur: quia in criminalibus qui accusat debet se inscribere *& non solùm secundum leges humanas, sed divinam etiam, criminaliter accusans, si in probatione deliquerit, condemnatur, ut patet Deuteronomii vicesimo secundo: quare cum viri non poterant satis firmitèr, & apertè testibus uxoris stuprum affirmare, aliquando impellebant uxores subire aleam, & limam purgationis, aliquando autem dimittebant per libellum repudii.*

Porro hoc etiam suas habet vires in jure civili, ubi pro arbitrio suo, (quantum ego assequor) liceat homini agere aliqua in culpa vel criminaliter, vel civiliter. Nam cum uxor fornicatur, vir potest eam accusare de adulterio non criminalitèr ad mortem, sed civiliter ad thori, & cohabitationis separationem, & lucrabitur dotem, ut patet extra: de dot: post rest: per totum.

Hìc primò cùm tres esse diversas, & inter se repugnantes leges circa adulterium in scripturis asseras, quarum secunda est illa, quæ Deut. 24. 1. extat, manifesta est petitio principii. nam in tota illa lege, ne verbum quidem est de adulterio, ubi tu reris, neque ulla in fœminas pœna constituitur.

Deinde quòd egregium quoddam, & insigne discrimen inter adulteriũ morte mulctandum, & adulterium divortio castigandum in eo constituis, quòd

illud testibus probari poterat, hoc verò non poterat; ἀργὸς λόγος est, & meræ nugæ. Fundamentum autem hujus discriminis, quod à te in duabus legibus de immunditia positũ est, quarum altera reus morte puniebatur, altera tantùm ad dies septem immundus censebatur; falsissimum est. ingens enim discrimen à Mose cõstituitur inter delictum hoc capitale, & alterum illud, ob quod ab hominum societate ad aliquod tempus tantũ semovebatur. Nam in capitali immunditia dicitur גלה את ערותה in altera minimè. Vides itaque fundamentum distinctionis tuæ conquassatum esse, quod certè ruere non potest, ut hæc tota non eodem labefactata motu concidat. Ecquisnam verò angelorum tibi ostendit prodiditvè, discrimen inter legem quæ Deut. capite vicesimo secundo extat; & eam quæ capite vicesimo proponitur, in testificatione rei esse positum? Equidem è patefacta, literisque consignata Dei voluntate, quomodo illud excerpi, aut exculpi possit, non video. Moses enim in utraque lege uno eodémque verbo eandem probationis rationem præscribit, Deuteronomii vicesimo secundo כי ימצא *cùm inventus fuerit*. Deuteronomii vicesimo quarto כי מצא *quia invenit*. Ecquid, obsecro, discriminis aut differentiæ inter hæc duo verba, vel duo potius unius ejusdémque verbi inclinamenta expiscari, aut excogitare potes? Vides ergo has duas leges inter se non probationis differentia, aut testimoniorum numero; (ut tu opinaris) sed factorum natura, & genere toto differre & discriminari.

Pag. 56. Tertiò è jure civili causæ tuæ adminiculũ quæritas, *quod maritus non poterat tutò insimulare uxorem adulterii,*

terij, quamvis oculatus fuerit teſtis illius ſtupri, niſi etiam poterat in lucem, & medium afferre teſtes certos, & fideles: quippe quod niſi eſſent probationes multum lucidæ, non condemnaretur uxor, & tamen vir deficiens in probatione, criminis, & maleficii condemnaretur, quia in criminalibus qui accuſat debet ſe inſcribere. In quo miror te tot juriſperitiſſimorum ora atque oculos in te converſos non erubuiſſe, non pertimuiſſe judicia: quos ut ego, utì tot Papinianos, Scævolas, Vlpianos, Paulos ſuſpicio; ita te contra id, quod indubitatiſſimi antiqui juris eſt, dicentem calentibus auribus ſuſtinuiſſe non dubito. Nam qui veterum Romanorum, qui hac in re ad Iſraëlitarum ſimilitudinem utì tempore, ita inſtitutis propiùs acceſſerunt, leges quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpexerunt, non ſunt neſcii, quid Imperator Conſtantinus Auguſtus ad Evagrium reſcripſerit: *Inprimis maritum genitalis tori vindicem eſſe oportet, cui quidem & ex ſuſpicione conjugem ream facere licet*, NEC INSCRIPTIONIS VINCVLO CONTINERI *veteres retrò principes annuerunt.* Sed quàm parùm in juriſprudentiæ ſtudio verſatus ſis, vel hinc licet conjecturam capere, quòd pro puro puto jure Civili putidiſſimum juſculi Pontificii brodium, id eſt DERKETALIA (ut quidam vocat) auditoribus tuis appoſueris: *hoc etiam habet*, inquis, *vires in jure Civili, ut patet extra: de dot. poſt reſt: per totum.* quæ Rubrica juris Canonici eſt, nempe viceſima libri quarti Decretalium. quàm verò hæc ſint repugnantia Burgenſis tuus te docuiſſet; qui matrimonii [a] indiviſibilitatem juris Canonici eſſe ait, negat eſſe civilis. Quare ornatiſſimis doctiſmíſque Juriſconſultis ſua, id eſt, [b] *leges humanas*

Cod. l. 9. tit. 9. ad legem Jul. de ſtupro, & adult. l. 30.

[a] *Burg. addit. 1. in Math.*

[b] P. 57. l. 3.

[a] Pag. 57. l. 4. l. 5.

humanas permittamus; atque ad noſtra, id eſt [c] *Diuinam*, regrediamur; qua tu adfirmas criminaliter accuſantem, ſi in probatione deliquerit, condemnatum iri: & proinde non potuiſſe maritum tutò uxorem inſimulare adulterii, *ut patet*, inquis, *Deuteronomii viceſimo ſecundo*. Sed quo loco, aut quo modo hoc ibi patet? meos enim oculos ita fugit res tibi tam aperta & patens, ut ejus ne veſtigium quidem ullum appareat. Nam in toto illo capite, unico tantùm verſu fit mentio adulterii, id eſt, viceſimo ſecundo, in quo ne apiculus quidem de mariti condemnatione, ſi in probatione defecerit, ſignificatur: in adulteros verò tàm mœchum, quam adulteram, pœna ſtatuitur certiſſima & ſeveriſſima. Præcedit quidem in eodem capite lex alia, qua marito irrogatur mulcta, non quòd uxorem adulterii legitimè procedendo accuſarat; ſed quòd uxoris famam alia in cauſa preſſerat, ſparſiſque de ejus ante nuptias impudicitia rumoribus inquinarat. Sed quæro à te, an oculatus ille teſtis de uxoris adulterio ſuſpicari potuit? id ſi potuit, ſalva res eſt. Lege enim divina

Num. 5.

ſatis erat cautum, ut eam & tutiſſimè inſimulare, ſine omni pœnæ vel infamiæ metu, ut antè dictum eſt, & ad debitas pœnas cogere poſſet. Poterat enim

Pag. 55. l. 9.

ex illius legis præſcripto, quam primo loco recitas, uxorem ſuſpectam ad diræ amaræque aquæ potionem repoſcere, omni certiorem quæſtione, quam leges civiles in eadem cauſa de tota familia, [a] non ſolùm mariti, ſed etiam uxoris, [b] atque adeò de ſervis patris ejus, ſine defenſione cujuſquam haberi permiſerunt. Niſi fortè Deum, quod alios latet, aut inveſtigare non poſſe, aut nolle patefacere ſuſpiceris.

[a] *Cod. l. 9. t. 9. l. 32.*
[b] *Lege 3.*

Nam

Nam niſi ejuſmodi dubitatio aliqua animum tuum ſubeat, neſcio quorſum maritus relicta hac tam expedita & veri patefaciendi, & mali puniendi à Deo inſtituta ratione, aliam ab omni & ratione, & æquitate, & honeſtate alienam capeſſeret. Nam ut pauca è multis delibem, uxor caſtiſſima ob mariti zelotypiam tantùm, in judicium trahitur, & ad quæſtionem abripitur; & quæ mariti leviſſima ſuſpicione adulterii coarguitur, internecioni datur: at verò quam maritus mœchantem ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendit, ea, ex tua ſententia, libera & impunita dimittenda eſt, ut, cui voluerit, nubat, etiam ipſi adultero, ſi placuerit. Hæccine eſt divina lege digna ἰσονομία, & æquabilitas? Deinde in uxores quid poteſt iniquius decerni, quàm viris tantam permittere poteſtatem, ut eas indictâ causâ, cùm adulterii ſceleris graviſſimi condemnare, tùm ignominiæ perpetuæ expoſitas extrudere, atque ædibus deturbare poſſent? Prætereà quis non videt, quàm oportuna ad omnem libidinem, & nequitiam injuſto marito præbeatur occaſio, cùm & uxorem ſuperiorem abjicere, & novam acceſſere pro libitu liceat; ex eo ſolùm, quòd ſuperiorem adulteram eſſe dicat? quod quàm facile ſit dictu, nemo non intelligit. Et quid obſecro differt hoc ab eo, quòd nos maritum quavis de cauſa uxorem dimittere dicimus? Nihil enim refert quæ cauſa fuerit, aliqua, an nulla; modò os impudens dicere poſſit, ſe non latere eam eſſe adulteram. hoc tamen intereſt (quod ſententiam tuam reddit odioſiorem) quòd noſtra interpretatione uxoris famæ conſultum erat; tua verò commentatione, de ejus fama, dignitate, honeſtate, exiſtimatione planè actum eſt.

Ultimò

Ultimò pro colophone totius operis, Janſenii
Pag.57.l.24. hominis Pontificii autoritatem nobis objectas: *quem apprimè opinioni tuæ favere* dicis. Atquî, ſi hominum ſuffragiis decernenda res eſſet, Theologos Janſenio tuo multò præſtantiores, tàm veteres, quàm recentes, non ſolùm Orthodoxos, ſed etiam Pontificios opponere poſſem, qui tuæ opinioni prorſus refragantur. Neque tantopere ei favet Janſenius, quantopere nobis perſuadere velis. Nam ille de occulta dimiſſione agit; lex verò Moſaica de manifeſta & publica, confecto inde inſtrumento & chirographo, quo omnibus conſtaret maritum juri ſuo renunciaſſe, & cuivis uxoris ejus ducendæ copiam fieri. Deinde, quamvis dicat adulterium Joſepho quidem Mariæ dimittendæ cauſam fuiſſe; inſinuat tamen alios id cauſæ nunquam eſſe ſuſpicaturos, & proinde non futurum fraudi Mariæ, nec dedecori apud alios. quod illud præter Judæorum conſuetudinem à Joſepho fieri, ſatis declarat. Poſtremò apertè profitetur Janſenius alias fuiſſe divortii cauſas Judæis in uſu, quę famam exiſtimationémque dimiſſæ nequaquam læderent, aut imminuerent. ergo non ſenſit tecum, adulterium ſolam divortii cauſam extitiſſe. Atque hoc illud eſt, quo Janſenium tuæ opinioni apprimè faviſſe ſcribis; hæcque tua cum ejus Harmonia eſt, ſcilicet δὶς δυὸ πανῶν.

Quod ad Janſenii errorem, Joſephi conſilium malè interpretantis attinet, non eſt hîc ejus monſtrandi, nedum refutandi locus. non enim mihi ejus errores redarguere, ſed te amicum veterem ab errore novo ad veterem veritatis tramitem revocare, propoſitum eſt. Neque opus eſt, ut in ea refellenda

diutiùs

diutiùs commorer, cùm pagina proxima ipſe ſatis labefactaſſe, imò evertiſſe videaris; ubi ais, *poſſimus nos jam propter adulterium uxores dimittere*: atque eodem ſpectat theſis tua ſecunda, in iiſdem comitiis propoſita: *Licet cauſa adulterii uxorem dimittere.* Illa igitur apud Moſem uxorum dimiſſio non fuit in cauſa adulterii. Nam quicquid Moſes Judæis ob duritiem cordium permiſit, id totum à Chriſto ſublatum eſſe in confeſſum venit, conſtátque omnibus. Adverte quæſo animum, & percipe quid ſit, quod Chriſtus dicit Moſem ob duritiem cordium conceſſiſſe Judæis: *Moſes permiſit vobis dimittere uxores veſtras pro duritia cordis veſtri.* Hæc oratio Chriſti ſimplex, perſpicua, plana & aperta eſt: unde colligitur, maritum, qui uxorem ſic dimiſerat, etſi nullam poſtea duxiſſet, κλητοκαρδίας à Chriſto damnari, & violati matrimonii crimine obſtringi. Nam de ducenda altera ne verbulum quidem unum apud Moſem, Deuteronomii viceſimo quarto, neque apud Chriſtum Mathæi quinto; ubi Moſis permiſſionem illam ex Moſe ipſo corrigit atque emendat: *Ego verò dico vobis, qui dimiſerit uxorem ſuam extra rationem ſcortationis facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* quorum utrúmque Moſes una dictione ערות דבר coarctavit, & peranguſtè referſit; Chriſtus verò dilatat nobis atque explicat. Deinde illam Moſis permiſſionem verſu eodem Matth. 19 emendat, ſeu potiùs è medio tollit Chriſtus: *Cæterũ à principio non fuit ſic.* Atquì, te autore, ſic nunc eſt, & proinde à principio fuit ſic, ut in cauſa adulterii uxores dimittere liceat. Quam propoſitionem tuam, ſi cum Pa-

Pag. 59. 23.

In appendice illius libri, p. 4.

Math. 19. 8.

Math. 5. 32.

Ultimò pro colophone totius operis, Janſenii
Pag.57.l.24. hominis Pontificii autoritatem nobis objectas: *quem apprimè opinioni tuæ favere* dicis. Atquî, ſi hominum ſuffragiis decernenda res eſſet, Theologos Janſenio tuo multò præſtantiores, tàm veteres, quàm recentes, non ſolùm Orthodoxos, ſed etiam Pontificios opponere poſſem, qui tuæ opinioni prorſus refragantur. Neque tantopere ei favet Janſenius, quantopere nobis perſuadere velis. Nam ille de occulta dimiſſione agit; lex verò Moſaica de manifeſta & publica, confecto inde inſtrumento & chirographo, quo omnibus conſtaret maritum juri ſuo renunciaſſe, & cuivis uxoris ejus ducendæ copiam fieri. Deinde, quamvis dicat adulterium Joſepho quidem Mariæ dimittendæ cauſam fuiſſe; inſinuat tamen alios id cauſæ nunquam eſſe ſuſpicaturos, & proinde non futurum fraudi Mariæ, nec dedecori apud alios. quod illud præter Judæorum conſuetudinem à Joſepho fieri, ſatis declarat. Poſtremò apertè profitetur Janſenius alias fuiſſe divortii cauſas Judæis in uſu, quę famam exiſtimationémque dimiſſæ nequaquam læderent, aut imminuerent. ergo non ſenſit tecum, adulterium ſolam divortii cauſam extitiſſe. Atque hoc illud eſt, quo Janſenium tuæ opinioni apprimè faviſſe ſcribis; hæcque tua cum ejus Harmonia eſt, ſcilicet δὶς δυὸ πασῶν.

Quod ad Janſenii errorem, Joſephi conſilium malè interpretantis attinet, non eſt hîc ejus monſtrandi, nedum refutandi locus. non enim mihi ejus errores redarguere, ſed te amicum veterem ab errore novo ad veterem veritatis tramitem revocare, propoſitum eſt. Neque opus eſt, ut in ea refellenda

diutiùs

diutiùs commorer, cùm pagina proxima ipſe ſatis labefactaſſe, imò evertiſſe videaris; ubi ais, *poſſimus nos jam propter adulterium uxores dimittere:* atque eodem ſpectat theſis tua ſecunda, in iiſdem comitiis propoſita: *Licet cauſa adulterii uxorem dimittere.* Illa igitur apud Moſem uxorum dimiſſio non fuit in cauſa adulterii. Nam quicquid Moſes Judæis ob duritiem cordium permiſit, id totum à Chriſto ſublatum eſſe in confeſſum venit, conſtátque omnibus. Adverte quæſo animum, & percipe quid ſit, quod Chriſtus dicit Moſem ob duritiem cordium conceſſiſſe Judæis: *Moſes permiſit vobis dimittere uxores veſtras pro duritia cordis veſtri.* Hæc oratio Chriſti ſimplex, perſpicua, plana & aperta eſt: unde colligitur, maritum, qui uxorem ſic dimiſerat, etſi nullam poſtea duxiſſet, πλεονεξίας à Chriſto damnari, & violati matrimonii crimine obſtringi. Nam de ducenda altera ne verbulum quidem unum apud Moſem, Deuteronomii viceſimo quarto, neque apud Chriſtum Mathæi quinto; ubi Moſis permiſſionem illam ex Moſe ipſo corrigit atque emendat: *Ego verò dico vobis, qui dimiſerit uxorem ſuam extra rationem ſcortationis facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* quorum utrúmque Moſes una dictione חמורת coarctavit, & peranguſtè reſerſit; Chriſtus verò dilatat nobis atque explicat. Deinde illam Moſis permiſſionem verſu eodem Matth. 19 emendat, ſeu potiùs è medio tollit Chriſtus: *Cæterũ à principio non fuit ſic.* Atquì, te autore, ſic nunc eſt, & proinde à principio fuit ſic, ut in cauſa adulterii uxores dimittere liceat. Quam propoſitionem tuam, ſi cum Pa-

Pag. 59. 23.

In appendice illius libri, p. 4.

Math. 19. 8.

Math. 5. 32.

radoxo tuo consistere posse docueris, eris certè mihi magnus Apollo.

Atque hæc hactenus pro confutatione novæ theseôs tuæ: *Dispensationem Judæis concessam à Mose ob duritiem cordium, fuisse solùm in causa adulterii.* Cæterùm quod attinet ad controversiam illam, *An uxore adultera dimissa liceat aliam* ducere (nam tuum *superinducere* alienum est ab hac quæstione, & ad illam de Polygamia spectat, qua maritus priori uxori in mensa & toro retentæ aliam superinducit, quod ex Augustini capite à te citato didiciſſe poteras) eam mihi omnino supersedendam censeo. Quid enim de tota hac quæstione sentiendum sit, ab iis, quorum & excellens doctrina, & autoritas præstantissima colendissimáque habetur, satis declaratum est. Quare mihi mirandum videtur, quorsum hac de divortiis instituta quæstione, & insciorum imperitorúmque conciones veluti flabello ventilentur, & eruditorum scholæ ac disputantium subsellia perstrepent. Nam quibus veritas cordi, & pietas curæ est, iis videntur hoc instituto (ut quod gravius & capitalius est, taceam) ad impudicitiam laxari fræna, ut effusæ in omni intemperantia libidines in omnium domos commeant, dum adulteriorum vel crimen minuitur, vel proponitur impunitas, vel pœnæ mitigantur. Ut adulteras morte mulctemus, antiqua reipublicæ politia non feret: Ut cum iis divortia faciamus, nova quorundam Theologia non patietur: quidni ergo liberè, & impunè scortentur?

Concedit quidem collega tuus, etsi invitissimus, separationem quandam, cùm publicum fuerit scandalum,

In thes. & pag. 5. l. 2.

Vide tractatum Angl. D. J. Rainoldi de divortiis adversus Bellarminum, &c.

I. D. serm. at Paules crosse. p. 29. & 30.

dalum, à magiſtratu fieri poſſe. Sed ut[a] parciſſimum hîc jubet eſſe magiſtratum, ita[b] ſeptem caſus à magiſtratus poteſtate prorſus eximit, quibus uxor mœchari cum publico ſcandalo, nec tamen magiſtratus [c]autoritatem ſuam interponere poſſit. quos omnes è ſanctulis Romanæ eccleſiæ doctoribus, Bernardino de Buſti in Roſario; Raymundo de penna forti in ſumma; Thoma de Aquino in lectionibus, delibavit. Unus eſt, ſi uxor[d] compenſationem poſſit objicere, id eſt, virum ſuum aliquando eſſe fornicatum. Alter, ſi maritus [e] debitũ non reddendo occaſionem dederit. &c. Et extra hos omnes caſus, ſi uxor ſeptuagies ſepties in die mœchata ſit, & reverſa dixerit ſe pœnitere, toties recipiendam eſſe docet. O tempora! ô mores! hæccine celeberrimis illis roſtris, & caſtiſſima concione tam indigna ferri! Quantò ſatius fuiſſet, & reipublicæ chriſtianæ utilius, ſi vos, quibus in honoratiſſimis hujus Regni concionibus dicendi locus eſt, hujus peccati indignitatem & atrocitatem, orationis (qua polletis) facundia, acumine, gravitate exponere, & magiſtratuum omnium implorare opem, auxilium flagitare, in Deum fidem, in patriam pietatem, in ſcelera ſeveritatem obteſtari voluiſſetis? præſertim in hac noſtra ætate, quæ adulterorum & ſcortatorum copiam tantam effundit, ut cum propheta jure conqueri poſſimus, *Quiſque ad uxorem proximi ſui adhiniunt*; tantáque eſt libidinum impunitas, ut meritò cum homine ethnico exclamare liceat, *Vbi nunc lex Julia? dormis?* Nondum quinquennium eſt, ex quo tempore in librum fortè incidi, tuo quintuplo majorem, accuratè & elabora-

[a] Very ſparing, as to enter betweene the barke and the tree.

[b] Sevé exceptions, which debarre the Magiſtrate from graunting any ſeparation from bed & boord, though incontinencie be evidently prooved.

[c] Interpoſe his authoritie.

[d] Plead compenſation.

[e] For lacke of due benevolence.

Ier. 5. 8.

Juvenal. l. 1. ſat. 2.

tè conſcriptum, characteribus elegantiſſimis excuſum; qui apertam habebat adulterii defenſionem & patrocinium. totus enim eò tendebat, id agebat, ad eum exitum properabat, ut oſtenderet, licere uxorato mulieris alterius pulchræ libidine ſtimulari, amori ſtudere, in ſinum & complexum ruere, conſuetudinem habere veneream, ſine peccato, ſine crimine, ſine culpa aliqua. Et nunc tempus eſſe vobis videbitur, in concionibus & diſputationibus adulteriorum impunitatem polliceri, aut pœnas tollere, vel minuere ſaltem? Sed reprimam me, ne videar inſtituti ſuſceptiq; conſilii immemor; cui non deplorare, ſed diſſerere propoſitum erat. Deum precor optimum maximum, ut ſtudia mea ſuo ſpiritu dirigat, & Academicam profectionem hujus anni omnem ad nominis ſui gloriam, Eccleſiæ emolumentum, Academiæ ornamentum moderetur. Amen. Bexleâ in Dioceſi Ciceſtrenſi pridiè Cal. Januarii. 1602.

SIGILL.

Scortatores & adulteros damnabit Deus.
Heb. 13.4.

Errata.

Pag. 14. *l.* 23. *pro* alteri uxor, *lege* alteri, uxor.
Pag. 45. *l. ult. pro* Quimos *lege* Guianos.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE